A &

GALILA

REBVS G

ET

MIRACVLIS

CLAR

RECTORE MAGNIF

SERENISSIMO PRINC

DOMI

VVILHELMO

DVCE SAX

IVLIAE CLIVIAE AC M

ET VVESTPHALI

PRAES

DOMI

IO. FRANCISC

THEOL. DOCTORE ET PRO

SERENISSIMO DVCI SAXO

A CONSILIIS SACRIS CIV

AC ALTENBVRGENSIS

DEMIA IENENSI

PATRONO AC PRAECEP

DIE III. DECEMBR.

PLACIDO ERVDITO

SISTI

IO. MATTHAEV

VVALTERSH.

A.

IENAE LITTERI

A & Ω

LAEAM

VS GESTIS

ET

LIS CHRISTI

ARAM

IAGNIFICENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

OMINO

MO HENRICO

SAXONIAE

AC MONTIVM ANGARIAE

PHALIAE RELIQVA

AESIDE

OMINO

ISCO BVDDEO

ET PROF. PVBL. ORDINARIO

CI SAXO-HILDBVRGHVSANO

RIS CIVIVMQVE GOTHANAE

GENSIS DITIONIS IN ACA-

NENSI INSPECTORE

AECEPTORE SVO OPTIMO

EMBR. clↄlↄ cc xIIx.

ERVDITORVM EXAMINI

SISTIT

HAEVS IVNCKER

ERSH. THVRING.

A. R.

LITTERIS HELLERIANIS.

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

PRINCIPI HEREDITARIO, SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE ET MONTIVM, ANGARIAE QVOQVE AC VVESTPHALIAE, DVCI, LANDGRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, PRINCIPI COMITI HENNEBERGENSI, COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINII ET TONNAE,

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

VT ET

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

DOMINO

VVILHELMO

SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE ET MONTIVM, ANGARIAE QVOQVE AC VVESTPHALIAE, DVCI,

LANDGRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, PRINCIPI COMITI HENNEBERGENSI, COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINII ET TONNAE,

PRINCIPI AC DOMINO MEO

CLEMENTISSIMO.



SERENISSIMI DVCES,

PRINCIPES AC DOMINI

CLEMENTISSIMI!



X quo VESTRAS SERENITATES in alias terrarum regiones visendi, earumque status cognoscendi studio, solenni celebritate, & optimis quibusuis comitatas, iter facere coepisse, e sacris patriae rostris, primo fiebat indicium: inter tot fidos subiectosque ciues, & mihi, maxima affecto gratulatione, multum, pro omni felicitate, & certi reditus laetitia, iunctarum precum, religioso vindicaui certamine. Et non minus gratum; quam obnoxium atque debitum munus. Quid enim praestantius, quid religiosius, quid supremo conuenientius arbitrio; quam principum suorum, quorum clementiam cunctorum & vota & facta sentiunt; sicut omnibus in eorum ditione positis ac locatis,

tis, communis est coeli spiritus luxque diei, augusta venerari ora, iisque perennem salutem precari curate? VESTRAE SERENITATES *instrumenta sunt boni seculi, Saxonumque nominis deliciae. A teneri quippe infantia, tanta iuuentute dignarum scientiarum magistris, viuendique praeceptoribus, genere, eruditione, voluntate laudabilibus, datis, SERENISSIMORVM MAIORVM exempla in* EARVM *oculis constituta sunt, vt exinde HORVM virtutes assequi proxime, & quicquid vbique pium, felix, & generosum vel gignit natura, vel format industria,* VESTRARVM SERENITATVM *fore, appareat. Et quem celsissimis ingeniis cultum, factis nitorem, virtutibus numerum, de exquisitissimis, iisque splendidissimis vsibus & comitatibus (qui quidem alias frontes hominum aperiunt; mentes tegunt: multisque virtutem venantibus, non tamen munitis, cordatis satis viarum magistris, eripiunt,) boni ciues putabunt accedere? Quicquid apud alios forte, apud alios cautum & sapiens, apud alios bellum & benignum,* VESTRAE SERENITATES *haurire, ac nihil tandem, quam ex omni principum virtutum ingenio collectas integritates, in se redundaturum, seque non minores vetustatis exemplis, visuros, quae acta mirantur, certo credunt. Hos inter* VESTRARVM SERENITATVM *SERENISSIMORVMQVE MAIORVM, cum patribus meis ducenti fere annorum deuotissimus ciuis, non vltimum tenere locum enitor. In obnoxii optimorum* PRINCIPVM *cultus, reique publicae amoris tesseram, apud* VESTRAS SERENITATES, *sit tanto venia facinori! praesentem fessum, primum tamen ingenii partum, humillima mente ausus sum deponere. Quantum fieri potuit, expositas habet, maximi prophetae, pontificis, regisque* IESV CHRISTI *peregrinationes, quae mortalium salutis ergo suscepit, & itinera conficientium sensit iniurias, diuersorii repulsam, omnesque asperitates. Sit ipse &* VESTRARVM SERENITATVM *perpetuus dux viarum, viuendique doctor; sic sacri erunt,*


& ab omni seculi huius, veritati inimicissimi, insidiis tuti. Sit ipse in singulos dies VESTRIS SERENITATIBVS, *earumque splendidissimo comitatui, nubis columna, singulasque noctes columna ignis. Iubeat ipse* VESTRAS SERENITATES *vigere perpetua felicitate & valetudine, quarum indicio nihil aestimatur antiquius: vt summo* SERENISSIMORVM PARENTVM, *quorum incolumitas, vitaeque, vltra metas Moysis integritas, omnium semper votorum summa est, gaudio, maximoque patriae solatio,* VESTRIS SERENITATIBVS *felices secundet reditus. Quod sicut praestabunt vestra merita; ita & excubias ducent vota*

CELSISSIMARVM SERENITATVM VESTRARVM

Ienae,
Kal. Decembr.
cIↄ Iↄ c c xIIx.


subiectissimi & obsequentissimi

IOANNIS MATTHAEI IVNCKER.



PROOEMIVM.

Iuliani sarcasmus, quo christianos lusit. Iam ante Iuliani aetatem Christus & discipuli eius Galilaei vocati sunt. Caussa, Pharisaeorum tumor, & contemtus Galilaeae. Galilaea autem rebus gestis & miraculis Christi clara est.



Icisti Galilaee! Hac sua dicacitate, & ad veterum doctorum effata, blasphemia, vehementi & mortifero vulnere sauciatus, sanguinem suum, sua ipsius vola in aerem profundens, se victum fassus est petulans ille Christi, eiusque sectatorum sannio, IVLIANVS. Infensissimus nominis christiani hostis erat, & derisor, iisdem qui palam id ipsum profitebantur, ad exscindendam penitus istius nominis memoriam, bella inferebat; & omnibus bonis minabatur cruces, tormenta, mortem, non spectata vexandorum sceleris puritate, vitaeque integritate, qua ita fulgebant, vt ipse pestilenti inuidia actus, & arrogans mimus, aliqua ex parte exemplum eorum sequi studens, vix speciem & vmbram potuisset assequi (*a*). Adeo miser homo glo-

(*a*) Iulianus reficiendae gentili superstitioni nihil conducibilius duxit, quam christianorum vitae regulas retinere. Nam *in epistola quadam ad Arsatium pontificem Galatiae voluit, vt sacerdotes gentilium, imitentur vitam sacerdotum christianorum, quia peregrini cu-*

gloriosissimo seruatori nostro, eiusque amatoribus bellum indixisse, (*b*) seque victurum, ac regnum Christi destructurum sibi persuasit. Deerat autem suae petulantiae, & christianorum conuicio nominis contumelia, quam christianis eorumque rectori ac defensori Christo nomine *Galilaeo* publica lege intulit. Et non est, quo GREGORIVS NAZIANZENVS (*c*) Iulianum hoc nomen honorificum duxisse, possit demonstrare. Tolerabilis quidem, haec nominis mutatio, iniuria. Ea nempe conuiciorum mundi in sanctos Dei homines eructatorum est conditio, vt quaedam eorum virtutes penitius exprimant, & non indigne celebrent (*d*): ex aliis nullam contrahant labem iusti & doctrinae coelestis tenaces viri, nec solida mente quatiantur (*e*).

Equidem aliquando sectatores Christi absque ignominia nominis dicti sunt *Galilaei*. Tiberianus enim ἡγεμὼν τοῦ πρώτου Παλαιστινῶν ἔθνους, in litteris ad Traianum *se defatigatum esse puniendo, & neci tradendo Galilaeos, qui sub nomine christianorum veniant*, conqueritur. Ἀπέκαμον, inquit, τιμωρούμενος, καὶ φονεύων τοὺς Γαλιλαίους, τοὺς τοῦ δόγματος τῶν λεγομένων Χριστιανῶν (*f*). Et angeli disci-

---

rarent, & admirarentur superstitionem christianorum. Xenodochia extrui iussit, & magna stipendia constituit ad hospitalitatem. Turpe namque putabat esse, vt Iudaeos quidem non abiiciant, sed potius nutriant impii Galilaei, *& suos pariter, nec non etiam nostros: sui vero suorum solatio deserantur. Ne autem videretur hoc habere a christianis, iussit doceri, haec opera olim fuisse suorum.* conf. SOZOMENI histor. eccles. lib. V. cap. 16. (*b*) Arguunt hoc nefandae, & plerunque ridendae aduersus Christum molitiones, templi Jerosolymitani tentata restitutio, & alia plura; ita vltimi eius contra christianos praelii finis & epiphonema, *vicisti*! (*c*) inuectiu. in Iul. (*d*) Aestima illam pharisaicam contumeliam, qua suauissimus seruator peccatorum & publicanorum audiebat amicus; poteritne misericors ille, & non aemulans 1. Cor. XIII. 4. Christi amor dignius efferri? (*e*) Metire hanc Galilaei vocem, non quidem quorundam factiosorum hominum, & Iudae Galilaei, sed qua patriae Christi & apostolorum, recordatione: & alia quibus cultores Christi veniunt cognomenta. (*f*) Suidas voc.

discipulos abeuntem Christum oculis prosequentes compellabant Act. I, 11. Ἄνδρες Γαλιλαῖοι. Quid? quod Christus ipse nomen Galilaei non adeo a se remouisse videtur, cum seipsum Nazarenum, a patria sua Nazareth, Paulo in via Damascena apparens, vocauit: Act. XXII. 8. & a discipulis suis passim Act. II. 22. III. 6. IV. 10. vocari non dedignatur; quin potius in scriptis euangelistarum: Ἰησοῦς ὁ Γαλιλαῖος, Ἰησοῦς ὁ Ναζαραῖος frequenter insignitus est. Id quod Matthaeus, vt implerentur prophetarum dicta factum fuisse, innuit c. II. 23.

Inflatis vero animis Pharisaeorum, & Iudaeorum Ierosolymitanorum, quos Iulianum coeterosque gentiles, Galilaei nominis probrum edocuisse dixeris, implacabile odium non in Galilaeam gentem modo, sed & in ipsam terram Galilaeae adeo inustum erat, vt eam sterilis & infelicis agri instar, nemini profuturas fruges, sed dumeta, & spinas, segetumque pestes ferre putarent. *An tu quoque e Galilaea es*, inquiunt ad Nicodemum, *perscrutare, & videbis, nullum ex Galilaea extitisse vatem*, Io. VII. 52. Etiamsi vero nemo facile ibit inficias plerosque Galilaeos fuisse, vt vita, sic oratione duros, incultos, horridos (*g*), sic etiam non videt nemo, pharisaeorum asperi animi & contumeliosi elationem tantam fuisse, vt solum suae seruirent arrogantiae, aliosque, inprimis plebem doctrinarum suarum non ita gnarum, penes se ne transuersum humerum spectarent (*h*). Eundem tamen cum iis sequebatur Dei cultum, & religionem, ac sane maiore simplicitate & candore, sacris vtebatur Mosis & prophetarum scriptis, quam pharisaei. Et quod scelus conceperat Galilaea, quod ex illa propheta nasci non poterat? vel impediebat forsan asperior & durior linguarum habitus, & exercitatio, quo minus nemo EIVS alumnus domui Dei potuisset inseruire? vel non omnis terra puluis propheticus est? aut erat potentiae diuinae quid detractum, & manus eius mutilata, certisque circumscripta legi-

 bus,

Traian. & Vsserius, post epistolas Ignatii. add. omnino diss. Dn. praesidis de *origine dignitate & vsu nominis christiani* §. XVII. & Rel. in *Pal.* p. 152. circa fin.

(*g*) vid. c. I. §. XIV.

(*h*) c. II. in not. ad §. V.

bus, vt ex alia terra, reges, principes, prophetas, aliosque excellentes viros, ex alia truncos, bardos, & hebetes oporteat componere? Nihil horum video. Et quamuis ſuo tempore & ipſe verus ille Iſraelita Nathanael, quod in tritum abiiſſe videtur prouerbium, dixerit: Ἐκ Ναζαρὲτ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι; Io. I, 47. attamen, Lightfooti verba ſunt (i): *non tam paruitatem* & *conditionem terrae ac oppidi reſpexit, quam prauitatem oppidanorum*; de qua perſpicuum teſtimonium perhibet Lucas c. IV. 29. Profecto omnibus poſitis, omiſſa tanta prophetarum & apoſtolorum Chriſti e Galilaea oriundorum cohorte, vtraque tamen Galilaea rebus geſtis & miraculis Chriſti ita enituit, vt ex mente Ieſaiae c. IX. 1. praeclare Matthaeus: c. IV. 15. 16. Γῆ Ζαβουλὼν καὶ γῆ Νεφθαλεὶμ ὁδὸν θαλάσσης, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει εἶδε φῶς μέγα. Cum itaque in tanta rerum copia, in quid, ſpeciminis academici cauſſa, pro facultate exigua inquirerem, anceps diu haeſi, conduceret nec ne? in curioſas quaeſtiones & controuerſias, parum acutas ingenii mei dotes inſinuare: ſatius duxi Galilaeam alias obſcuram habitam euoluere, & rebus geſtis & miraculis Chriſti e tenebris in lucem euocatam ſiſtere. Arrideat dulciſſimi ſeruatoris noſtri vultus ſuauiſſimus coeptis, & omnia ad nominis ſui gloriam & amoris ineffabilis elationem dirigat. Faxit!

CAPVT I.

DE GALILAEA REGIONISQVE NATVRA ET INCOLARVM INGENIO.

CONSPECTVS.

Capitis huius & inſtituti ratio, §. I. *Galilaeae etymon*, §. II. *Varia eiusdem nomina*, §. III. *Deſcriptio Galilaeae aliqualis in genere*, §. IV. *Diuiſio in ſuperiorem & inferiorem*, §. V. *Deſcriptio inferioris*, §. VI. *ſuperioris*, §. VII. *Enarratio breuis celebriorum oppidorum*

(i) hor. talm. in Luc. p. 769.

dorum & vrbium Galilaeae, praesertim quae genuere prophetas, §. IIX. *Maris Tiberiadis, fluuiorum & aquarum*, §. IX. *Montium Galilaeae, itemque & camporum, ac vallium commemoratio; vbi de transfiguratione Christi*, §. X. *Animorum culturae, religionis, ac scholarum*, §. XI. *Praecipuorum generum vitae Galilaeorum*, §. XII. *Eorundem ingeniorum, morumque durorum ac bellicosorum*, §. XIII. *Contemtus Galilaeorum & caussae eius*, §. XIV.

I.



Cum de Galilaea, rebus gestis & miraculis Christi clara disserere institui, primum aliquid de ipsa Galilaea, eiusque nomine, situ, & incolarum ingenio, praesertim de locis, quae seruatoris optimi praesentia, & facta, splendide ornarunt, monendum erit. Mens vero mihi non est, Galilaeam geographice depingere, nec patitur instituti ratio; celebriora saltem in scriptura S. inprimis N. T. loca, ad spargendum aliquid lucis sequentibus capitibus de rebus gestis Christi in Galilaea, huiusque claritate, libet attingere.

II. Videtur vox Galilaeae natales suos debere verbo גלל *voluit*. Ideo ab Hieronymo (*k*) *volutabilis* redditur; vel גלה *transmigrauit*, vnde ab eodem inibi *transmigratio*. Huic etiam sententiae manum porrigit Augustinus (*l*): *Galilaea*, inquit, *interpretatur vel transmigratio, vel reuelatio, a posteriore nimirum illa radice, quae inter alia etiam vertitur voluendo reuelatus est.* Alii aliquam deriuationis huius ponunt rationem. Galilaeam videlicet ideo sic dici, *quod maris littori adiaceat, propter sinuosos littorum recessus, vel quia fluctus illic ventis aut aestu reciprocentur, volutatimque ludant, vel denique propter congestos illic arenarum tumulos* (*m*). Propius autem hoc vocabulum גלילה a גליל *limite* limitaneam siue finitimam, & ab aliis, Phoenice ac Syria, quibusdam quasi cingulis circumseptam, regionem designat. Prima enim a stirpe גלל *voluit* גליל *limes* tanquam diuersorum terminorum conuolutio est, ac concursus (*n*).

 III. Prae-

(*k*) de nominibus ebraicis f. 146.

(*l*) tom. IV. de consensu euang. l. 3. p. 522.

(*m*) Gerh. in comment. ad Matth IV. 15. p. 224. seq.

(*n*) conf. Schindler. sub hac voce.

III. Praeter proprium nomen aliis etiam insignita titulis est Galilaeae regio. Dicitur enim Gilgal, & idem esse videtur ac גליל Jos. XII. 23. Vbi scriptor huius libri mentionem facit regis גוים לגילגל *gentium de Gilgal*; quod LXX. interpretati sunt per Galilaeam. Denotat quidem vox Gilgal *rotam* & *deuolutionem*, & ab eodem cum גליל fonte גלל proficiscitur. Sed post Israelitarum per Iordanem transitum, vocata sunt eorum castra, non in Galilaea, sed prope Bethabaram ad portum Iordanis metata, ab iterata praeputii amputatione & deuoluto Aegypti probro, Gilgal, Ios. V. 9. Nihilominus licet vltimum in soluendis nodis, hoc pacto, sit praesidium, diuersa vnius nominis loca asserere; non tamen adeo est absonum, quin potius in scriptura S. multa exempla sint obuia, ac celeberrimus Buxtorffius ipse testetur (*o*), Geliloth, hoc est Galilaeam, alias dici Gilgal Ios. XV. 7. Diuersa ergo Gilgal Ios. XII. 23. XV. 7. XIIX. 17. est ab ea, quae ita, non a castris Iosuae, e quibus omnes gentes circumcirca per circulum quasi debellauerit, sed a deuoluto probro Aegypti per circumcisionem, appellabatur. Diuersa non minus ab ea, quae ad orientem Ierichuntis. Ios. IV. 10. 1. Sam. VII. 16. Nominatur etiam Galilaea tribus Naphtalim & Sebulon Jes. VIII. 23. Matth. IV. 15. quia in eandem hae potissimum tribus sorte sunt profectae. Superant & alia cognomenta, quae Galilaeam innuunt. Quemadmodum enim tota terra Israelitica, Iudaea appellata est, quia Iudae tribus regio & primo censebatur loco, secundum Iacobi praedictionem Gen. XLIX. 8. *Iuda, te confitebuntur fratres tui*: ita haec ipsa compellatio & ad Galilaeam pertinet. Et hoc est quod Cyrillus (*p*) sentit: *Nain vnam ex urbibus Iudae fuisse.* Stephanus etiam ἐν ἐθνικοῖς, Tiberiaden πόλιν τῆς Ἰουδαίας vocat. Quod tamen citra veritatem dictum foret, quia vrbes Galilaeae erant; nisi per Iudaeam tota terra Israelitica intelligatur, sed Samariae & Galilaeae opponatur. Hac ratione Palaestina, Canaan, & aliis nominibus ceu tertia pars ista-

---

& Buxtorff. in lexico. (*o*) l. c. Hoc ipsum vlterius exsequitur Lightfootus chorogr. Matth. praemissa p. 153. (*p*) lib. X. contra Iulianum.

istarum regionum possit compellari. Praecipuum vero inter alia Galilaeae cognomenta istud est, quo *gentium Galilaea* audit. Ies. IX. 1. Matth. IV. 15. Non solum enim ciuitates eius erant gentium limites, sed & exceptis Tiberiade, Nazareth, & Capernaum, (q) gentibus maxime habitatae, quas Israelitae non deleuerant, quaeque vectigalia pensitabant. In hanc quoque regionem multi inquinate loquentes ex diuersis locis confluxerant; Aegyptii, Phoenicii, Arabes, & alii quorum multos Galilaeam incoluisse vulgo creditur. Sed etiam ad consolationem valet denominatio gentium Galilaeae. Quamuis enim seruator cum adhuc Galilaeam pedibus calcaret, dixerit: *Se* (respectu officii prophetici, non autem mediatorii) *non nisi ad perditas oues e domo Israel missum esse*; ideoque Paulus eum περιτομῆς διάκονον s. *ministrum circumcisorum* vocat Rom. XV. 8. nihilo secius tamen eo ipso, quod in medium quasi venit & habitauit gentes inter & Iudaeos, Galilaeam nempe, quae ipsa gentibus fuit referta, hasque a Iudaeis distinxit, voluit innuere, se & gentes ad se vocari instituturum, & interiectum parietem sublaturum esse. Cui vero Galilaeae num superiori, an inferiori? hoc nomen גליל הגוים exquisitius conueniat, in medio relinquo, vt tamen ἐν παρόδῳ notem: *ad boream summi apicis oliuiferi collem esse, qui & ipse pars eius censeatur, quique Galilaea dicatur; & hic locus intelligendus credatur, quum post resurrectionem Christus dicitur discipulis suis praeiturus in Galilaeam* (r). De quo infra (s).

IV. Iure merito Palaestina decus terrarum vocari potest; sed non immerito magna eius portio Galilaea. Pulcerrima enim regio est, montem inter Libanum & Samariam sita; ad septentrionem Tyro Tyriorumque regionibus circumscribitur: ad meri-

(q) Epiph. lib I. adu. haereses p. 128.

(r) Rel. Pal. lib. I. c. LII. Martin. Zeiller. Ep. P. I. ep. LXIII. p. m. 176. & Rudolphus pastor ecclesiae parochialis Suchensis in VVestphalia, in itinerario Balduino de Steinfort, episcopo Paderbornensi, inscripto. add. diss. sub praesidio D. Sam. Andreae de vestigiis pedum Christi in monte olueti, habita.

(s) c. II. §. XXI.

meridiem Samaria, Scythopolis & Iordan suis terminis eam absoluunt: ad occasum Ptolemaide & monte Carmelo Phoeniciae quasi contermina est: ad orientem vero num vsque ad Iordanem modo vergat, an vltra Iordanem late se pandat, & Gaulanitidem, Hippenem & Gadarim complectatur, multum est inter eruditos decertationis (*u*). Omnes autem Galilaeae terminos ipsam

(*u*) Equidem omnes fere nostratium in ea fuerunt opinione, Galilaeam ad orientem vltra Iordanem se porrigere. Hanc sententiam haud parum rueri videntur verba Matthaei IV. 15. *trans Iordanem*; egregie etiam in rem meam ea fore fateor. RELANDVS autem lib. I. Pal. cap. XXXI. p. 134. & 488. hanc sententiam non posse admitti, eamque probaturos difficilis probationis opus tractare putat. Neutiquam vero ipse omnem mouit lapidem mouendum. Iosephi enim testimonium ad quod prouocat, cedat scripturae S. oportet. Nec inde sequitur, nullas plane vrbes mari Tiberiadis, & aliis regionibus trans Iordanem fuisse interpositas. Et Gerasenorum regio Luc. IIX. 26. ex aduerso Galilaeae posita manet, nempe eam Galilaeae partem, quae est trans Iordanem. Ad Bethzaïdam quod attinet, eam non Iosephus solum, sed & ipsi scriptores sacri trans Iordanem videntur collocare. Locus enim Io. XII. 21. quem lib. III p. 487. citat, omnino nihil probat: Marc. VI. autem v. 45. si accuratius consideratur, constabit, Iesum discipulos suos iussisse, ad littus maris orientale, prope Bethsaidam, accedere, nauemque in cursum ad Capernaum conuertere. Tandem Marc. IIX. 22. maxime pro parte Relandi stare videtur. Sed dici posset, Marcum hoc loco nouam ordiri historiam, vel illam intelligere Bethsaidam, quae ad Caesaream Philippi duceret, quamque Relandus Iuliam Gauloniticam dicit, cum statim Marcus l. c. v. 27. subnectit: profectum esse Iesum in vicos Caesareae Philippi. Quomodo ergo Io. XII. 21. Bethsaidam Galilaeae dicere potuisset; nisi aliquas vrbes trans Iordanem Galilaicas dici posse concedis? Desertum etiam Bethsaidae trans Iordanem erat. Quod Iosephus Ant. XVIII. 3. habet, nec contra nos nec pro Relando est, quia dicit Bethsaidam sitam esse ad lacus Gennesariticum,

ipsam regionem rotundo ambitu, & quasi circulo circumuallare, est quod placet Hillero (x), & testari posset de nomine. Fertilissima erat regio, olei & vini abundantia gaudens. Nec quid obstet apparet, quo minus verba Assyriorum regis 2. Reg. XIIX. 32. vbi terram Israelitarum regionem vinearum, olearum, tritici, & frumenti dicit, etiam ad Galilaeam spectare vendicem. Erat enim & ipsa terra promissionis, eiusque portio. Ideoque

sed quodnam latus? orientale aut occidentale? Nec contra nos quod p. 134. dicit: Iudaeos Galilaeam a regione trans Iordanem distinxisse. Nostrates enim non omnem regionem trans Iordanem, sed aliquam partem, Galilaeae vindicant. Quomodo tandem Chorazin Galilaeae ciuitatem potest vocare, quam omnes, & ii, qui delineationes Palaestinae ad mentem ipsius Relandi composuerunt, ad littus maris orientale e regione Capernaum collocant. Autores quos ille ad situm Chorazin demonstrandum citat, eam quidem in littore maris Gennesareth sitam fuisse dicunt, sed in quonam tacent. Sic salua aliquatenus esset doctorum nostrorum sententia. Nec omnino negligenda sunt, quae tanto tamque diuturno eruditorum nituntur consensu. Neutram tamen sententiam certo asseruisse videri volo. Vna, enim, haec quaestio, Cellario iudice, ex difficillimis, quae in sacra geographia moueri possunt. Haud tamen nequeo, quin hac occasione notem, esse nonnullos, qui limites Galilaeae meridiem versus latius extendunt ac par est, quando magnam Samariae partem, *Dothaim* videlicet Samariae vicum, vinetis celebrem, in via qua fratres Iosephi mercatoribus Ismaelitis, ex Gileaditide Aegyptum petentibus, eundem vendiderunt, Genes. XXXVII. 17. 28. Galilaeae tribuunt. STEPHANVS vero ἐν ἐθνικοῖς vel Hermolaus, aut alius qui STEPHANI epitomen edidit obseruante RELANDO, saepius alius regionis vrbes & oppida in Galilaeam transfert. Sic *Bala* ciuitatem tribus SIMEON Ios. XIX. 3. & *Zebete* ex IOSEPHO, *Gaba*, vrbem tribus BENIAMIN Ios. XIIX. 24. Ezr. II. 26. *Pirathon* Iud. XII. 15. siue *Pharathos*, vrbem Ephraimitarum, & alia, Galilaeae tribuit, quae nunquam in ea sita fuerunt.

(x) in lexico onomastico, sub voce Galilaea.

si Salomo quotannis Hiramo 20000. coros tritici misisse 1. Reg. V. 11. & hunc ad Salomonem litteras dedisse: *ὅπως παράσχῃς ἡμῖν ἀντὶ τούτων σῖτον, οὗ διὰ τὸ νῆσον οἰκεῖν δεόμεθα, φρόντισον, cures eorum loco frumentum ad nos deferri, quo indigemus, quod insulam incolamus* (y), legitur: non eris in Iudaeam & Samariam iniurius, si frumentum fortassis de prouentu Galilaeae Hiramo vicinioris, ad mandatum Salomonis datum esse diceres. Multum praeterea mel prouenit ex siluis & arboribus, quod apum opere efficitur. Palmae ibi quam frequentissimae erant, pecudum, ac piscium inopia nulla. Post sacrorum scriptorum, aliorum quoque iudicia & testimonia possunt proferri. IOSEPHVS (z) Galilaeam totam pinguem & pascuam esse narrat, omniumque generum arboribus consitam, sic vt vel minime studiosos agriculturae, vbertate sua prouocet. *Talmudici etiam*, verba sunt RELANDI (a) *prae reliquis terrae Israeliticae regionibus Galilaeae fertilitatem celebrant, scribentes in Gem. Megilla 6. 1. terram lacte & melle fluentem illam esse potissimum quae XVI. milliaribus ab vrbe Zippori in medio Galilaeae sita, quaquauersum protenditur.* Et alibi (b): *Guschchalab locus est in Galilaea celebratus ab oleo.* Inter alias tandem huius terrae partes Iosephus plurimum effert regionem Gennesar, & *θαυμαστὴν* esse dicit *φύσιν καὶ κάλλος natura & pulcritudine admirabilem* (c). Sed eiectis legitimis possessoribus eius Iudaeis, vel ipsa tellus iram Dei sentit & gerit. *Luget & languescit terra, pudet Libanum, & exarescit, Saron est sicut solitudo, & ex-*

(y) Ioseph. antiq. VIII. 2. (z) d. B. I. lib. III. c. 2. (a) Palaest. lib. I. c. LVII. p. m. 284. (b) lib. III. p. m. 604. conf. simul l. III. p. 738. vbi ex Echarabbati fol. 75. 2. docet: *vineam habuisse Hadrianum longam & latam 18. miliaria, quantum scil. interuallum est inter Sepphorin & Tiberiada*; valde est probabile eam, nisi Iudaeorum sit commentum, in Galilaea sitam fuisse, cum fuerint vrbes Galilaeae. (c) lib. III de Bello Iud. c. 35. *παρατείνει τὴν γεννησὰρ ὁμώνυμος χώρα, θαυμαστὴ φύσιν τε καὶ κάλλος, οὔτε γὰρ αὐτήν τι φυτὸν ἀρνεῖται διὰ τὴν ποιότητα, καὶ πᾶσαν πεφυτεύκασιν οἱ νεμόμενοι.*

excutit Basan & Carmel. Vbi Graeci: γαλιλαία καὶ ὁ χέρμελ, Ies. XXXIII. 9. conf. Amos IX. 5.

V. Geminam autem cum Iosepho Egesippus, & alii, faciunt Galilaeam; inferiorem, & superiorem. Superiorem, quia fontibus & capiti Iordanis esset proprior; inferiorem, quia longius ab iisdem recederet. Illa potissimum pertinet ad tribum Naphtali, haec ad tribum Sebulon. Acceperunt enim aliquam Galilaeae partem tribus Isaschar, Asser, & Manasse. Iudaei vero vti totam Palaestinam; ita & Galilaeam ratione montium, camporum, & vallium, in tres diuiserunt partes.

VI. Inferior Galilaea terra pinguis est, & herbosa, agri vbere & arbusti, praesertim ad Scythopolin, palmarum honore ita nitens, vt etiam infrequentes ruris cultores benignitate sua, & copia alliciat, vt culturas exerceant, & agri salubritate fruantur. Ea enim est conditio terrae Palaestinae, vt non profunde debeat proscindi. Ideoque asini aratro sunt admoti; Ies. XXX. 24. Deuteron. XXII. 10. Et Iosephus, in Galilaeae descriptione, quod ad agriculturam attinet, maxime ad inferiorem spectasse videtur (e). Perrarum est, si segetis opimitas non respondet, aut vindemiae vbertas non arridet. Mal. III. 10. Vrbes & oppida vndique arcta sunt ciuibus, adeo propter opulentiam conferta est virorum multitudine. Quam tamen Iosephus & Egesippus nimis ampliant. Ille minimum supra quindecim, hic viginti millia colonorum habere putant. Inferiori Galilaeae, vt & tribui Isaschar, a Salomone rege sapientissimo, praefectus est Iosaphatus filius Paruah (f).

VII. Superior Galilaea, inferiore latior, & multa eius portio frondibus & virgultis interclusa, pars nulla tamen ociosa est: vt rursus loquitur Iosephus: προσηκήθη γὰρ ὑπὸ τῶν οἰκητόρων πᾶσα, καὶ μέρος αὐτῆς οὐδὲν ἀργόν. Reliqua pars tractabilis & frugifera

(e) lib. III. d. B. I. c. 2.

(f) 1. Reg. IV. 17. Iosephus antiq. IIX. 2.

gifera est, ducendis vitibus, & arboribus inserendis apta. Proceritas arborum, & directi earum ordines ab agris & frigoris vim pellunt, & caloris molestias sedant; maxime exornatus ager est oleis, vitibus, ac palmis. Egregia etiam oculorum exsaturatio & pastus fertur, quando ventorum stridor patulis diffusas ramis palmas circunfundit, & odorum suauitates intimas, quas sudant, ex istis afflat. Ea in partitione Salomonea administranda contigit Ahimaaz genero Salomonis 1. Reg. IV. 15. non vero Achinadabo quod dicit Iosephus (*g*). Caeterum quae de vtriusque Galilaeae conditione addi possent; ex sequentibus erunt perspicua.

IIX. Inter memorandas Galilaeae vrbes, & oppida in scriptura S. celebrata, primum locum dabo Christi patrio oppido ingrato NAZARETH, quod coronae instar verticem montis ambiisse fertur, Luc. IV. 29. (*h*). In eo seruator conceptus, Luc. I. 26. seqq. & educatus est, Luc. IV. 16. & ab eo Nazareni nomen accepit, Marc. I. 24. In eo non poterat (hoc est nolebat *Gen. XXXVII. 4.*) miracula facere, ob summam incolarum impietatem & indignitatem. Marc. VI. 8. Matth. XIII. 58. Haec sunt quae N. T. de eo docet. Quae autem Pontificii, Brocardus, & alii, de variis templis Gabrielis, & Iosephi, eorumque de Christi natiuitate, sepultura, ac resurrectione, monumentis, ac altaribus lapideis, non magis de loco vbi Nazarethani Christum praecipitare audebant, & vestigiis corporisque lineamentis Christi omnibus ibidem lapidi impressis tradunt; vel ipsa mentione sunt indigna. Si denique domum Mariae in agrum Lauretanum transtulerunt angeli, quaerentes eam in Nazareth & sumtus perdunt, & operam (*i*). Primum miraculum edidit Iesus Nazarenus in CANA Galilaeae Io. II. 1. seq. In ea cum seruator secunda vice versabatur, vt iuuenem aegrotantem restitueret, summisse inuitatur ad CAPERNAVM. Io. IV. 46. 47. Erat haec vrbs Galilaeae Luc. IV. 31. Matth. IV. 13. Io. VI. 17. copiosa & tabernis frequens. Et quia Christus in synagoga Io. VI. 59.

(*g*) antiqu. IIX. 2.

(*h*) Heidmannus in Palaest. c. IX. §. 37.

(*i*) Lightfoot disquis. chorogr. Ioanni praemiss. p. 917.

59. saepe instituebat populum, ibique habitauit, Marc. II. 1. ἰδία πόλις vocata est, Matth. IX. 1. ciuis enim EIVS erat, Matth. XVII. 24. In ea quasi miraculorum suorum theatrum posuit; quoniam vero susque deque habita sunt, secundum comminationem Christi, ad inferos depressa est. Pari modo facta Christi a Chorazin & Bethsaida repudiata sunt: adeoque & iisdem VAE dixit, Matth. XI. 21. seq. Male autem diuiditur Chorazin per Χώρα Ζὶν siue regio Zin, quod quidam voluerunt: Christus enim non χώρας, sed πόλεις increpuit, Matth XI. 20. quas inter Chorazin esse dicitur (*k*). Chorazin excipit Bethsaida illa marinae venationis domus, vnde venatores & piscatores Ier. XVI. 16. venerunt. Hanc illam esse ferunt, quam Philippus Trachonitidos tetrarcha, Herodis Antipae frater, multis nouisque aedificiis, & precioso auctam ornatu, mutato nomine, τῇ Ἰουλίᾳ θυγατρὶ τοῦ καίσαρος ὁμώνυμον fecisse, & Iuliaden nominasse, vulgo dicitur (*l*). Principes Galilaeae ciuitates erant Tiberias, Sepphoris, & Gabara. Tiberias celebrata in N. T. vrbs, in optimo Galilaeae agro sita, ab

(*k*) Scherz, diss. super dictum Matth. XI. 20. Prückner in vind. p. 709. (*l*) Iosephus antiquit. XIIX. 3. Lightfoot chorogr. c. XCIV. 165. Sitae fuerint hae ciuitates vel cis vel trans Iordanem, scire nostra nihil refert; satis est, eas ad Galilaeam pertinere, omnibus notum esse. Vid. quae dicta sunt ad §. IV. Quaresmio vero t. II. eluc. terrae sanctae lib. VII. c. 7. & Cellario geogr. antiq. p. 387. non satis probata est sententia de mutato Bethsaidae nomine. Hanc vero difficultatem suo examine sibi videtur sustulisse Relandus p. 487. Notandum tamen est, Iosephi testimonia interdum vacillare, & illi de terminis Galilaeae non trans Iordanem ponendis, Gorionidis posse obiici assertum. Testatur enim lib. VI. c. XIV. p. 588. ex edit. B. BREITHAVPTI: Vespasianum ad vrbem Gadaram profectum esse; *erat autem vrbs ista ampla in Galilaea superiori*; & lib. VI. c. XXIIX. p. 648. eandem trans Iordanem ponit. conf. etiam c. XXIV. p. 630. & XXV p. 632. Vnde colligi liceret, vrbem Gamalam, quae trans Iordanem sita erat, etiam ad Galilaeam pertinuisse. Sed, sic iubente instituto, transeant haec.

ab Herode Antipa condita, deque nomine Caesaris Tiberii dicta est. Agrippas vero eidem in honorem Claudii, Claudiae dedit cognomentum. Hinc in nummis Traiani vtrumque conspicitur: ΚΛΑΤΔΙΟΤΙΒΕΡΙΕΩΝ & ΤΙΒΕΡΙΕΩΝΕΠΙΚΛΑΤΔΙΟΤ: aliis Tiberiadis nummis templum est incisum, quod in honorem ADRIANI, siue, quod quibusdam placet, Christi, ibidem aedificatum, & ἀδριανεῖον nominatum fuit (*m*). Quod antea Kinnereth vocata fuerit, non satis valide potest adstrui. Cinnereth enim, Chammath & Raccath in tribu Naphtalim Iosf. XIX. 35. Tiberias vero in confiniis Zabulonis & Naphtalim sita erat. Error fortassis ab adiacente lacu Tiberiadis, Kinnereth dicto, ortus, vel quia Chammath, Iosf. XIX. 35. ab aquis calidis, quae etiam Tiberiaden celebrant, ita dicta est (*n*). De reliquis vero Galilaeae praecipuis ciuitatibus multa habet Iosephus obseruatu haud indigna (*o*); ea vero non moror, vt ad pharisaeorum magna & impudentia mendacia pungenda, aliorum Galilaeae oppidorum, quae prophetas aluerunt, faciam mentionem quam adstrictissimam. Impotentiores enim nunquam se praebuere quam cum erumperent: *Perscrutare & videbis ex Galilaea nullum extitisse vatem.* Recognoscant ergo nobiscum. Piget quidem, prolixum esse in iis persequendis, quae pseudo-EPIPHANIVS de angelici prophetae Malachiae (*p*) aliorumque patria habet. THISBE autem Galilaeae ciuitas, in

---

(*m*) Norisius, c. VI. & vlt. in anno & epochis Syro Maced. in vetustis Syriae nummis praesertim Mediceis expositis add. cel. Tenzel. colloqu. menstr. anni 1691. mens. febr. p. 88. Rel. lib. III. sub. *Tiberias*.
(*n*) Rel. p. 765. (*o*) lib. antiq. XVII. 12. XIII. 21. XIIX. 3. & d. B. III. 1. 16. II. 23. &c. Plures ciuitates & loca commemorare nec ratio instituti, nec vicorum & vrbium Galilaeae multitudo patitur, quorum isti 404. attribuit Iosephus in vita p. 1017. Et satis in eis recensendis nunquam satis laudanda Relandi sudauit opera, cuius studium in Iudaeorum antiquitatibus & geographia sacra semper vigebit, cuius etiam industriae plurima huius capitis momenta debeo. Ad eum igitur lectorem volo ablegatum. (*p*) in vit. prophet. p. 249.

in tribu Naphtalim, patria fuit Eliae Thisbitae magni prophetae (*q*). ELKOS, si Hieronymo fides, Nahum genuit, Nah. I. 1. *Quum Elcesi*, inquit (*r*), *vsque hodie in Galilaea viculus sit, paruus quidem, & vix ruinis veterum aedificiorum indicans vestigia, sed tamen notus Iudaeis, & mihi quoque a circumducente monstratus.* Luculentissimum vero testimonium de pharisaeorum insulsitate, Gathhacheper est, in meditullio fere Galilaeae situm oppidum, Ionae, ob typum Christi, quem sistebat exquisitissimum, prophetarum facile principis, patria 2. Reg. XIV. 25. vbi etiam sepultus fertur (*s*). Hinc

---

(*q*) Reland lib. III. sub voce THISBE, vbi ex Tob. I. 1. Thisbe Galilaeae vrbem vindicat, aliorumque sententiam refellit, qua credunt, Eliam ab vrbe quadam Toschabe ita dictum esse, sed quam ipsi ignorant, nec quomodo a Toschabe ἐθνικὸν Tisbi formari possit, ostendunt. Aptiorem autem sensum esse, quia Toschabe inquilinos notet, Eliam patria Thisbiten fuisse Galilaeum, sed diu habitasse in Gileaditide, docet. Citat & Eusebii, aliorumque, in hanc sententiam testimonia. (*r*) in proleg. ad prophetiam Nachum. Falso autem Epiphan. in vit. proph. p. 247. Begabar vel quod idem videtur, Bethabaram trans Iordanem, Nachumi facit patriam. (*s*) Hieron. in praefat. ad Ionam. Incaute rursus & contra sacras paginas, pseudo-Epiphanius in vitis prophetarum p. 246. & anonymus, de vitis prophetarum ab Hoeschelio ex codice Augustano editus (Rel. p. m. 517.) *Cariathamaum* Ionae patriam statuunt; cum vel inde posset colligi Ionam fuisse Galilaeum; quia gentis huius domesticum & natiuum sensum de quo §. XIII. habebat. Alias Galilaeae vrbes omitto, vt, *Gabatham*, vbi Habacuci sepulchrum ostenditur; Eusebius in *onomastico* ad vocem γαβαάς. Haec autem Gabatha, si cum Gabath eadem forsan est; ex ea natus esset Nathan. Ephiphan. d. vitis prophetarum p. 235. Sed incerta transeant. Huc pertinet patria Amosi Thecoa, quam Ephiphanius in Galilaeam transfert, quae tamen vrbs Iudae fuit, 2. Chron. XI. 6. licet etiam Kimchi eam in tribu Ascher, aliqua ex parte Galilaeae portionem habente, locet. conf. Rel p. 759. Si quoque laxiores facerem limites Galilaeae, & Dothaim, vt quidam, ad eandem reducerem; Elisa etiam patriam agno-

Hinc cuilibet videre est, quantum pharisaeorum iactationibus fidei sit habendum. Tam coeci, tam incogitabiles, tamque excordes hi magistri in Israel erant, vt nescirent, vel more suo, h. e. turpi, ac inflata mente, non admitterent, ex Galilaea extitisse vatem. Sed quid miror? cum verissimum de pharisaeis illud Bocharti (*t*) sit effatum: *Ebraeorum doctissimis solenne est vix quicquam scire praeter sermonem & ritus suos.* Omittamus iam Iesum Christum prophetarum omnium maximum; omittamus plurimos ex iis, qui iudicaturi sunt duodecim tribus Israel, & eas inter, ipsos pharisaeos. Sufficiant ad refellenda pharisaeorum mendacia Elias & Ionas magni prophetae. Si denique quod Hieronymus (*u*) scribit: *Giscalam*, Galilaeae ciuitatem, *a parentibus apostoli Pauli inhabitatam dici*, ex vero, non ad eruditam fraudis artificio famam tantum dictum est: maximorum fere quos sol vnquam aspexit hominum, nubem quasi, e Galilaea originem suam trahere videmus. Sed quanta illa impietas! quanta dementia! quod incolae huius regionis credulitatem suam vero Messiae, quem viderunt, prorsus non addixêre: & ita seque suamque prouinciam seruari passi sunt.

IX. Diuina quoque prouidentia huic regioni optime consuluit, in concedendis fontibus, & magnis fluuiis, qui in eam cursum suum contorqueant, & deflectant, ac denique per fines eius elabantur. Crebri sunt in Galilaea putei ac fontes aquae dulcis; balneaque ac thermae praesertim apud Tiberiaden (*x*) & huic vicinum vicum Emmaus, in Galilaea crebrae

sceret Galilaeam, nempe *Abelmechola* 1. Reg. XIX. 16. non longe a Bethsan siue Scythopoli 1. Reg. IV. 12. Galilaeae termino austrum versus, sita; & Hosea natus ex Balamo siue Belemoth, non procul a Dothaim, Iudith. VII. 3. Galilaeae posset vindicari. Rel. p. 459. 464. sed mitto haec. (*t*) hierozoic. part. II. lib. V. c. 9. quamuis Maimonidi, & aliis quibusdam, iniuriam facere videatur. (*u*) in comment. epist. Pauli ad Philemon. & catalogo script. eccles. add. Rel. ad vocem Giscala. (*x*) vid. Lightfooti chorogr. Matthaeo praemissa c. 74. & Luc. c. IV. sect. 3. Magni etiam fuisse ea balnea ac thermas, vel in-

brae (y). Ideo quibusdam vetustis Tiberiadis nummis incisa est Hygia cum serpente montium altitudini insidens, de quorum cauernis serpunt ac properant aquae (z). Noti sunt fontes Gadarenses ad sanitatem vtiles (a). Sed scaturiant, quia nondum conuenit an vltra Iordanem se porrigat Galilaea. Notus est cisternarum vsus, quibus aquae coelestes colligebantur; earum multae in Palaestina, celeberrimae vero prope Ierosolymas, & circa Racam, & in monte Tabor fuerunt. Noti sunt torrentes & fluuii ex confiniis Galilaeae fluentes: *Belus*, e cuius arena Sidonii vitrea vasa, probatae tenacitatis, serenitatisque fecerunt; Ios. XIX. 26. *Kischon* inter Tabor & Nain & Endor fluens Iud. X. 7. 13. V. 12. Ps. LXXXIII. 10. 1. Reg. XIIX. 40. notus etiam fluuius *Sihor*, in quo sicut praecipue in Nilo crocodili repertos esse creditur (b). Clarissimus item Iordan e fonte Phialo prorumpens, excellentissimisque miraculis V. & N. T. transitu inprimis Israelitarum, cum secundum prouerbium ἄνω ποταμῶν χωρεῦσι πηγαὶ ad scaturigines recesserat; & baptismo seruatoris, insignitus. Hic piscosissimus amnis per medium mare Galilaeae, deinde vlterius propter Samariam & Iudaeam vsque in mare mortuum fluit. Non ergo pede sicco transeundum est ipsum mare Galilaeae, in nouo foedere adeo

de patet, quia magni Iudaeorum doctores more suo pugnant, num corpus tantum, aut etiam faciem, manus, pedesque iisdem immergere liceat; conf. summe reuerendi Dn. D. Danzii academiae nostrae iam ProR - magnifici, patroni mei aeternum colendi, dissertationes de *inauguratione Christi ad docendum, haud obscuriore Mosaica* in notis ad §. 24. p. 75. Sed ne longum loquar: presso dente fontem καπαρναοὺμ in Galilaea, qui vena fluminis Nili putabatur, perstringam; singularia de eo videri possunt apud Iosephum d. B. I. III. 18. Nec vrbem Bathanath in Galilaea Ios. XIX. 38. Iud. I. 33. moror, de qua Eusebius ad hanc vocem dicit, eandem habuisse salubria lauacra. (y) Ammianus Marcellinus lib. XIV. Ioseph. ant. VIII. 2. XIIX. 3. de B. J. II. 36. (z) Norisius, & Tenzel. l. c. (a) Epiphan. lib. I. adu. haeres. p. 131. (b) Plura habet Relandus quae transcribere piget.

eo celebratum. Magnitudinem eius deſcribunt Ioſephus, Egeſippus, & Plinius; ſed ſeipſos inter non conueniunt. Non ita quidem magnum erat, ſed antiquo Ebraeorum more ceu collectio aquarum, dicebatur mare Galilaeae, & Tiberiadis, de nomine vrbis clariſſimae ei adſitae; Io. VI. 1. olim vero audiebat mare Cinnereth, a cythara forſan, aut ab effectu, quod ſuauem ſonum edat, vel a forma quod cytharae parum ſit abſimilis; a regione adiacente, Genneſar dicebatur. 1. Macc. III. 67. Dulces habebat aquas & potu haud iniucundas, ſed niue pene frigidiores (c). Nec non egregia piſcium examina ibidem reperiebantur, quam nominibus varia, tam coloribus, & magnitudine diſtantia; ſic ſapore, qualia alibi non deprehenduntur. Multi idcirco piſcatores in oppidis amoeniſſimis circumiacentibus habitabant, & in Tarichaea triginta modo ſtadia a Tiberiade diſtante, etiam piſces ſaliri conſueuiſſe probabile eſt. Hodie vero ab accolis lacum Tabariae vocari, fertur (d). Hoc mare ſolum ſua nauigatione & praeclaris miraculis decorauit Ieſus Chriſtus: inprimis ſibi debuiſſet quaſi gratulari, quum conditorem ſuum ſupra ſe, praeter naturae ordinem ceu in terra incedentem, absque inſtrumento nauis, aut vllius rei creatae opera, ferret, Matth. XIV. 24. 25. Et reſpondent haec veteri Ebraeorum de lacu Tiberiadis ſiue mare Galilaeae prouerbio, quo Deum inter ſeptem Palaeſtinae lacus, nullum quam eundem, ſibi aſſumſiſſe ac vindicaſſe ſtatuunt (e). Noſtra aetate cum ira Dei, & in exſiccatione fontium, & aquarum ſe exſerens Eſ. III. 1. Ioel I. 20. Ez. IV. 16 Amos IV. 7. 8. 12. ob contemtum & interfectum ſeruatorem noſtrum, hiſce regionibus adhuc incumbat, nullibi fere infrequentiores ſunt fontes & aquae (f). Et non immerito iſta maria & ea inter Tiberiadis dixeris

ſeptem ſine flumine valles (g).

O ſi

(c) Ioſephus de bel. iud. l. III. 18. Rel. l. c. (d) Niger geogr. Aſiat com. 4. Adrichom. terrae S. theatr. f. 139. (e) Lightfoot cent. chorogr. in Matth. c. LXX. p. 131. (f) Hieron. in comment. ad Amos. c. IV. (g) Ouid. lib. II. Metamorphoſ.

O si Iudaeorum oculi, ante maximum omnis terrae exitium, lacrymarum fontes fuissent; & viuam seruatoris aquam quaesiuissent, sic saluae essent res eorum, & praesenti meliores facie.

X. Fertilitate praestantes adhaec Galilaeae montes ac colles erant, & plus segetum proueniebat ex iis quam ex campo (*h*); spatia vero sicca & petrosa, etsi non frugum, olearum tamen vinearumque erant feracia. Agmen ducat *Carmel* fertilis ac decorus mons Ies. XXXV. 2. *Olim Galilaeorum, nunc Tyriorum mons est, & Galilaeam terminat ab occasu* (*i*): magnam enim partem Galilaeae Tyrii occupauerant. Multa de antro Eliae quod in eo fuerit, & vita monastica quam degerit, loquitur Quaresmius (*k*). Quod & Elisa eundem frequenter adiuerit patet ex 1. Reg. XIIX. 40. Iure ergo merito Carmelus reuelationis mons dici potest, quem magni illi Dei viri Elias & Elisa incoluerunt. Et hoc ipsum forte Ioannis a Cruce libro, quem ascensionem montis Carmeli inscripsit, dedit occasionem. Infra radices montis ad lacum Cenduuiam nascebantur purpurae, quod haud exiguum decus Palaestinae addidit; ideoque Cant. VII. 5. *caput tuum, vt Carmel, & cincinnus capitis tui vt purpura*, dici probabile est. Obseruatum etiam est eruditis *non sordido* illi *naturae, verique auctori* Pythagorae in hoc monte cum Carmelitis, discipulis Eliae & Elisae, familiarem vsum intercesisse (*l*); quod ab aliis tamen inter commenta refertur. Ad meridiem tangebat Galilaea montes

(*h*) Gen. XLIX. 26. conf. Clericus ad hunc locum p. 311. col. 1. & Raschi ad Deut. XI. 11. Iosephus de B. I. lib. III. c. 2. p. 833. gentilium, & Geoponicorum testimonia mitto. (*i*) Non conuenit quidem inter historicos, num mons Carmel ad Galilaeam debeat referri, quod nostra parum refert. Omnes enim consentiunt eum Galilaeam terminare ab occasu: Iosephus etiam Carmelum Galilaeorum montem vocat, lib. III. d. b. c. 2. Rel. p. 403. Quod ergo nec olim ad Galilaeam pertinuerit, est probandum. Interea vt proximus Galilaeae finis hic in censum venit. (*k*) eluc. terrae S. lib. VII. c. 3. (*l*) conf. viri excell. Io. Iac. Syrbii Pythagoras intra sindonem noscendus §. X. p. m. 49. Vbi & aliae antiquitates de monte Carmelo quod *Φοίνικον* dicatur, Carmelique nomen & monti & Deo datum ex Tacito, & alia.

Gilboae in quibus ἀλλόφυλοι Philistaei (*m*) infensi Israelitis hostes, horum exercitum ducesque, Saul & Ionathan prostrauerunt. Quare magnus ille Dei propheta, & rex Dauid, vt cessent pluuiae, cessent & rores, quos aurora frequentes in eos remittebat; deserantur agri, qui oblationes produxerint, quum parentaret defunctis, singulari dolore, mixtaque grauitate, ac verborum ponderibus, optauit, 2. Sam. I. 21. Quae omnia de praestantia montium istorum testantur. Praeter alios colles celeberrimus est mons Tabor, cuius non situs modo, herbarum, fruticum, & arborum, decor & honos, sed aspectu ipse mons iucundus est. Hos. V. 1. Elegans enim eius forma, & rotunda est, solus in planitie situs, vt nullus alius mons, aut collis ei adhaereat. Vetus est de eo sententia, quod fuerit ille, in quo Christo, & tribus apostolis, Moses, & Elias apparuerint. Quod credit antiquitas; in dubium vocat cum aliis saepe laudatus RELANDVS (*n*); his potissimum fundamentis nisus. Quod primo veteres christiani *τὸ κατ' ἰδίαν seorsim* Marc. IX. 2. ad situm montis retulerint, quia in campestribus situs, nec cum aliis montibus iunctus sit. Sed *τὸ seorsim*, ad *ducere*, referri debere dicit. Deinde obseruat cum LIGHTFOOTO proxime antecedentem historiam, prope Caesaream Philippi contigisse; dehinc Iesum post sex dies assumsisse Petrum, Iacobum, & Ioannem, nulla facta mentione itineris ad alia loca; nec dicatur, eos in montem Tabor relicta Caesarea duxisse, sed tantum *seorsim* & *κατ' ἰδίαν* solos. Postea, reliquos discipulos haesisse in vicinia, & descendenti Christo cum discipulis venisse obuiam. Tandem Marc. IX. *illinc*, nempe a Caesarea egressos, fecisse iter per Galilaeam. Credibile ergo esse, pergit, non longe a Caesarea Iesum, tres illos discipulos duxisse in aliquem montem, certo nomine haud notum (quidni enim nomen montis adiecissent scriptores sacri) & discipulos reliquos non longe ab illo loco Christum exspectasse. Verum si quis, qui non sentit nihil, ea quae doctissimum virum procliuem reddiderunt, vt credat non in monte Tabor, sed alio

(*m*) Theodoret. in not. ad Ps. LII. LXXXII. Ier. XLVII. Relandus p. m. 31. (*n*) Palaest. lib. I. c. 51. p. 246.

lio quodam id contigisse, accuratius expendat; iisdem varia rursus obiici posse videbit. Missa enim montis pulcritudine & excellentia, qua καϑ' ἰδίαν situs erat (o), profecto seruator optimus sex dierum spatio a Caesarea discipulos suos ad montem Tabor ducere potuit, quod ipse concedit Relandus, distantias locorum Palaestinae satis callens. Quod vero nulla mentio facta sit itineris a Caesarea ad alium locum, nihil referre, nec huc facere, quod Marc. IX. 30. habet, reponi posset. Christus enim cum discipulis ἐκεῖϑεν nempe domo sua vers. 28. egressus, non autem a Caesarea, in Galilaeam pergit. Non etiam rarum est, vt iam quis in certo loco sit, & tamen per eum proficisci dicatur. Iterum hoc ipse Relandus velle videtur, partesque meas suscipere, quando ad Num. XXXII. 39. dicit (p): *Profecti sunt in Gilead non significat, eos ante in Gilead non fuisse, contrarium liquet ex antecedentibus. Sed idem est quod perrexerunt vlterius in Gilead, vti in N. T. legitur Christus profectus in Galilaeam a Nazareth, quum iam esset in Galilaea. Iuit nimirum vlterius in interiora Galilaeae.* Silentii insuper montis scriptorum sacrorum ea forsan fuit ratio, ne aliquando imbecilles adhuc sectatores Christi a satana in superstitionem

 abri-

(o) excellentiam montis huius BVNTINGIO *in itinerario*, vt ego quidem arbitror, nemo expressit splendidius. Adiicit in fine obseruationum suarum de monte Tabor: *Es liegt auch sonst noch ein ander Berg in Ober-Galilaea, 23. Meilen von Ierusalem gegen Norden, derselbe Berg heist auch* Tabor, *und liegt nur 3. Meilen von* Caesarea Philippi *gegen der Sonnen Niedergang, aber auf demselben Berg soll sich der HErr Christus nicht verkläret haben.* Haec aliquid lucis Relandi exceptionibus spargere videntur. Et si vera sunt, perinde mihi esset, in quocunque monte, vel prope Caesaream, vel in hoc de quo sermo est, Christo accidisset transfiguratio coelestis; sufficeret eam in Galilaea factam esse

(p) lib. I. Pal. c. XXXIII. p. m. 145. & lib. III. p. 626. Vbi disserit num Ierusalem ad tribum Iudae an Beniamin pertineat, *vel profectus est*, inquit, *in Beniamin* (nempe Ieremias cap. XXXVII. 12.) *id est vlterius in eam penetrauit, ad interiora eius contendit, vti alias exponi solet Christum profectum in Galilaeam, id est, in interiora eius.*

abriperentur, montemque ipſum religioſe colerent, quod contigit Carmelo. Ex eo enim, quod Elias & Eliſa, ibidem habitauerint, & ſua ſacra celebrauerint, horrenda in plebem a Carmelitis fluxit ſuperſtitio (*q*). Si itaque montem Tabor ſiluerunt, nec alium nominarunt. Iis vero ipſum montem certo nomine haud notum fuiſſe, confidentius fere, quam proba alias Relandi integritas videtur admittere, dictum eſt. Erant enim plurimi Galilaei, qui poſt Galilaeam vicinas quoque regiones probe nouerant; praeſertim Matthaeus, qui in eodem portu, vbi Chriſtus nauem conſcenderat, vt trans Iordanem, & porro ad Caeſaream veniret, nempe ad lacum Tiberiadis, ad publicanorum menſam ſederat. Potuere hunc tractus vicinarum regionum latere, cum exteri & peregrinantes menſae ſuae vectigalia penſitarunt, & quod plerunque ſolenne eſt, patriam & itinera ſunt profeſſi? vel nemini coeterorum diſcipulorum Chriſti qui ex Decapoleωn, ipſiusque Caeſareae, oris eum ſequebantur, dicti montis nomen notum fuit? aut omnino nullo inſignitus erat nomine? Credibilius ſane videtur, montem iſtum in quo Ieſus transfigurarus eſt, fuiſſe montem Tabor; & licet de eo ſileant librorum N. T. ſcriptores, per traditionem tamen ad veteres chriſtianos & ab eorum conſenſu ad nos perueniſſe. Et aequius nunc RELANDVS haud temere reiicienda eſſe fatetur, quae multornm conſenſu nituntur; nec profecto aliquid occurrere, quod ſtirpitus euellere, atque euertere hanc queat opinionem. Quippe ſeruator extra Iudaeorum regiones pauca edidit miracula. Et quis chriſtianam antiquitatem tam excordem credit, vt ad conſilium & deſtinationem animi Petri de texendis tribus caſis exequendam, tres aedes ſacras planitiei montis ſuperſtruxerit, niſi probabilius duxiſſet, ſi non certo nouit, Chriſtum in monte Thabor, non in alio, ita fuiſſe exornatum (*r*). Quamobrem ſicuti in terra ſancta aliquot montes erant, qui ſancti dicebantur, veluti Choreb & Tzion, ita & ille

(*q*) conf. laudati Dn. SYRBII Pythagoras loc. cit. & Mendoza de DEO Carmelo. (*r*) Ioan. Cotouic. Itin. lib. 3. c. 7. 355. Beda d. loc. ſanct. c. 17. add. Dn. D. DANZII *diſſert. cit.* in notis ad §. 43. p. 156.

ille in quo Christus coelesti splendore decoratus est, sanctus non sine ratione dicitur, praeeunte Petro 2. Ep. I. 18. Tabori opponitur Chermon Ps. LXXXIX. 13. Duo autem in Palaestina sunt Chermones: vnus monti Libano adsitus & Paneadi imminens in Phoenicia: alter in Galilaea prope Naim, & torrentem Endor. Ille ad montana niuosa situs, hic vero rore plenus. Ignobiliores supersunt, vt Asamon a quo nomen Asamoneorum manasse volunt quidam; & alii, quos in praesenti non memorabo (*t*), vt de campis & vallibus vel tria edisseram. Inclytus est campus magnus Ebraeorum seu τὸ πεδίον μέγα, quem secat fluuius Iordan; vna ideo pars eius tribuenda est Iudaeae, pars Samariae, pars Galilaeae. Terminum enim Galilaeae inferioris ad orientem, Iosephus facit vicum Xaloth in campo magno situm (*u*).

Gali-

(*t*) Multa enim restant quae de montibus Galilaeae essent dicenda, inprimis de eo inuestigando in quem diabolus sanctissimum seruatorem per aerem violentis abripuit vnguibus; quoniam nonnulli eum in Galilaea situm asserunt; quo fundamento videant alii. Si coniecturis locus, dici posset: seruatorem in montem Tabor, altum, latisque despectationibus aptum, a diabolo raptum esse, vt omnem mundi gloriam introspiceret; postea vero coelesti honore vbi mundanum nihil aestimasset, augendum fuisse. Sic in deserto Bethzaidae vbi, forsan, omnibus nota fame debilitatus est; multa ipse hominum millia saturauit. Sed quorsum haec? Aliqua non minus de campestribus Saronis in Galilaea sitis, non quidem illis quae sacrae paginae adeo celebrant, sed regionem Gennesar innuentibus, quae a Ganne & Saron siue γωνία & Saron appellata videtur Relando p. 142. non contemnendis coniecturis; aliis quoque a גני סרים hortis seu paradisis principum, quae ibi frequentes erant, non autem, quod Egesippo placet, a γεννήσει ἀέρος. Sed quia instituti obstat ratio alios consulat B. L. Ego enim hoc loco de ciuitatibus, aquis, montibus ac vallibus Galilaeae quaedam exhibere volui, vt praestantia terrae Galilaeae eo clarius cuilibet constet, & quae ciuitates prophetas & magnos viros aluerint, quibus deinde praerogatiuis lacus Tiberiadis monsque Tabor exornati sint dicam.

(*u*) lib. II. d. B. c. 2.

Galilaea vero proprios quoque habebat campos, eosque magnos. Memoratur vallis Iiphtachel in tribu Zabulon Iof. XIX. 14. 27. celebrantur horti decapoleos, mare Galilaeae circumiacentes, regio Gennesar dicti. 1. Macc. XI. 67. (x) Notum est μέγα πεδίον Λεγεῶνος, quod planities Esdrael dictum fuit, campus legionis vero, a Romanorum legionibus castra ibi metatis (y), ab adiacente vrbe, vallis Iizrael. Iudith. I. 8. Iof. XVII. 16. Mons Tabor etiam in campestribus solus situs est, & haec pars campestris illa dicitur, quae sycomoros producit. Erat & campus Asor in Galilaea 1. Macc. XI. 67. XII. 49. & alii praeterea plures Iudith. IV. 5. III. Ezr. I. 27. II. Paralip. XXXV. 22. (z). Ex his facile aequus lector cognoscet praestantiam & fertilitatem Galilaeae. Iamdiu vero montes, qui exquisita Iudaeorum bellantium, quibus confidebant, praesidia (a), & olim terra tecti fuerunt, & frugiferi; nudi sunt & deserti. Perditi sunt & campi, crebrisque belli tumultibus, & incursionibus latronum, quas sustinuit, vastati & inculti. Sic subterit & proculcat ira Dei optimas terras eandem prouocantes.

XI. Verum non agrorum modo enituit, sed animorum quoque cultura nobilitata fuit Galilaea. Testantibus enim noui foederis scriptis synagogis fuit ornatissima (b). Erant ibi Essaeorum

---

(x) conf. haec §. sub (t). De regione decapolitana longae sunt geographorum disceptationes num cis, an trans Iordanem sita fuerit. Bonfrer. in notis ad *onomast. vrb. & loc. scripturae S. p. 62.* Audiantur tamen & FRID. SPANHEMIVS *introduct. ad geograph. sacr.* p. 78. & CHRISTOPH. CELLARIVS in geogr. antiq. tom. II. lib. III. c. XIII. p. 639. (y) de bel. iud. III. 3. (z) Relandus in Palaest. cap. de montibus & campis Palaestinae, ea ex monumentis scriptorum profanorum prolixius illustrat.

(a) 1. Macc. X. 70. 71. 73. Iud. IV. 6. 1. Reg. XX. 23. vid. & Iosephus antiquit. XIII. 8. (b) Si vero sileret nouum instrumentum, vel magnus Iudaeorum magistrorum Galilaeorum numerus loqueretur. In cippis enim ebraicis ab Hottingero editis ACBARA in Galilaea ponitur, vbi sepulti dicuntur R. Dostai, Iannai, & Nehurai. Loquuntur etiam multa fabularum iudaicarum in Galilaea vestigia. Sic Relandus lib. III. 534. ex gem. Ierosol. scheuiith fol. 36. col. 3. *Discipulos qui docent*

orum officinae, Pharisaeorum sellae, Sadducaeorum sedes, & populi iudaici institutio & doctrinae. *In* scholis *pro aetatis discrimine iuniores ad seniorum pedes considunt, & ad audiendum se componunt, ibi alius ex libro praelegit, alius quispiam, vnus a peritioribus accedens, quae obscura sunt explicat, nam pleraque per figuras more philosophorum sunt tradita* (*c*). Nunquam ergo Galilaei fuerunt trunci, & barbari; sed diligentes multi, & frequentes scholarum auditores. Iud. V. 14. Luc. IV. 15. 16. Certe Hyrcanum regem, filium suum Alexandrum Iannaeum dictum, licet eum odio haberet, regnoque potiri nollet, neutiquam in Galilaeam ablegaturum fuisse arbitror; nisi ibidem non minus tanto iuueni dignis, quam Ierosolymis, institui potuisset disciplinis (*d*). Salutari quoque quidam discipuli

constitutionem aliquam, praesente magistro suo, mereri mortem, iisque hoc non licere, nisi 12. miliaribus remoti sint a praeceptore dicit. Exemplum praeterea adfert, quo quidam R. Tanchum in Chephar Galilaeae docentem ideo redarguant, quum R. Mena, praeceptor scil. eius, sit in vrbe Zippori. Et lib. I. c. IV. de traditione Iudaeorum, quod nullibi nisi in terra Canaan resurrectio mortuorum sit futura, ex Bereschit Rabba narrat: R. Iudam & R. Eliezerem circa portam Tiberiadis ambulasse, & ἀλλυφύλȣ cadauer in suam terram deferri vidisse. R. Iuda itaque ei sepulturam in Israel nihil esse profuturam statuit ex Ier. II. 6. cum extra terram defunctus sit. Eliezer autem ex Deut. XXXII. 43. hoc pacto peccata eius expiari contendit. conf. l. III. p. 686.

(*c*) Philo in libro *quod omnis probus &c. p. m. 223.* Caeterum de variis Iudaeorum scholis, domo doctrinae, & domo explicationis, consulatur Hornbeck de *scholis theologicis*; & Lightfoot. cent. chorogr. Matth. praemissa c. 97. in hor. Talmud p. 165. quadraginta octo Leuitarum ciuitates gymnasia habuisse, vbi cognitione legum Mosaicarum imbuebantur, asserit. *Hae enim,* inquit, *academiae quasi erant, quo tribus ministerialis turmatim distributa, studio legis incubuit, docta euasit, atque inde per totam gentem disseminata doctrinam legis per omnes synagogas disseminauit,* conf. Ios. XXI. 32. seqq. (*d*) Ioseph. ant. XIII. 20. conf. simul B. nostri Breithaupti Gorion. lib. IV. c. VII. seqq.

Christi Galilaei, scripturae S. pollebant cognitione (*e*). Nec prorsus improbanda pia eorum mediatio, qui Mariam eo tempore, quo ei coelestis ille praeco Gabriel instantem Messiae conceptionem annunciauit (*f*), praedictionem illam Ies. VII. 14. legisse, & volutasse, asserunt. Non ergo verbum DEI & legitimus eius cultus in vulgus fuit obscurus, aut ignotus. Quin post Ierosolymorum desolationem, praecipua sedes omnis profundae eruditionis & sapientiae iudaicae, Tiberias Galilaeae floruit (*g*). Et ita desolatis Ierosolymis sibi gratulari oportebat Iudaeorum doctores, quod sedem inuenirent in abiecta Galilaea, vbi tamen inquinatis eorum lacunis splendida opus erat hedera (*h*).

XII. Praeter scholas & gymnasia, varia etiam in ciuitatibus exercebantur opificia, & negotia, inprimis vrbes magnae mercaturas faciebant, vt earum rerum quibus abundabant fieret exportatio, & auri ac argenti, cedrorum, aliarumque rerum inuectio. Gen. XLIX. 13. 2. Chron. II. 15. 16. In iis vero oppidis, quae propter fluebat Iordan, quaeque ad mare Tiberiadis sita erant, vt plurimum habitabant piscatores. Magni enim piscium exercitus

---

(*e*) CAVE in antiquitatibus apostolicis, p. m. 540. & 548. (*f*) eam annunciationem autor *speculi Sueuici* die dominica factam esse putat c. V. de sanctitate diei dominicae: *des Sonntages ward unser HErr IEsus Christus gekündet von Gabriel unser Frauen Sant Marie. Der Sonntag war der erste Tag der je ward, und wird auch der letzt Tag als wir erstyn sollen.* (*g*) OLEARII *IEsus der wahre Messias und köstliche Eckstein.* p. 123. seqq. & Reland. lib. III. p. 767. (*h*) Vsha Galilaeae ciuitas Rel. l. III. p. 784. post desolationem Ierosolymorum, sedes fuit synedrii. Et ibidem ex schir haßchirim rabba fol. 15. col. 4. testatur: *aliquot doctores Ebraeorum congregatos esse, hoc loco* (Vsha) *vt docerent, R. Iuda, R. Nechemia, R. Meir, R. Iose, R. Simeon Ben Iochai, R. Eliezer fil. R. Iose Galilaei, & R. Eliezer Ben Iacob: eosque misisse ad seniores Galilaeae, & dixisse, quicunque vult discere, veniat, discat.* Hinc etiam creditur decretum de immunditie terrae gentium in Vsha esse natum.

tus in his locis ſpaciabantur. Reliqui negotiis opificiariis, domeſticis, ac ruſticis (*i*), operam nauabant.

XIII. Caeterum pugnaciores omnibus aliis Iudaeis erant Galilaei. Iuſſerat namque Moyſes Sebulon militiae ſuae laetum eſſe; Deut. XXXIII. 18. & Naphtali a Iacobo veloci ceruo comparatur Gen. XLIX. 21. Gentibus confinis erat Galilaea, quibus Galilaearum regionum nullus deſiderii pudor erat; ideoque ſemper audebant acies. Τηλικαῦται δὲ οὖσαι τὸ μέγεθος, καὶ τοσούτοις ἔθνεσιν ἀλλοφύλοις κεκυκλωμέναι, πρὸς πᾶσαν ἀεὶ πολέμου πεῖραν ἀντέσχον, μάχιμοί τε γὰρ ἐκ νηπίων, καὶ πολλοὶ πάντοτε Γαλιλαῖοι, καὶ οὔτε δειλία ποτὲ τοὺς ἄνδρας, οὔτε λειπανδρία τὴν χώραν κατέσχεν. *Sed cum tantae ſint vtraeque* (Galilaeae) *magnitudine; tantisque gentibus alienigenis cinctae, ſemper tamen omnibus belli periculis reſtiterunt, nam & pugnaces ſunt ab infantia Galilaei, & omni tempore plurimi, neque aut formido vnquam viros, aut eorum penuria regiones illas occupauit* (*k*). Cum his ſacra ſcriptura concordat. Iud. IV. 6. ſeqq. IV. 18. V. 14. ſeq. 18. IIX. 18. 19. XII. 11. Haec ſi legitime expendantur, egregie mentes de animi magnitudine, & excellentia Galilaeorum, poſſunt conuincere; praeſertim cum ipſi reges Zebah & Zalmunah Galilaeorum formam & ſpeciem liberalem probant, eosque ob virtutem regum filiis conferunt. Loquuntur plura bella iudaica, teſtantibus Maccabaeorum & Ioſephi libris in Galilaea geſta, vnde quaſi propria belli ſedes dici potuiſſet. Loquuntur praeterea crebri tumultus & motus populi. Iudas Gaulonites, ſiue ab educatione, aut habitatione, vel quod Gaulon ad Galilaeam pertineat, Galilaeus dictus, multorum millium animos ad ſeditionem incitauerat, aſſerens: cenſus Romanis pendendi iugum extremae ſeruitutis ſignum, nihilque in patriam libertatem magis impium eſſe, quam poſt DEVM mortale ſuſpicere imperium. Ab hiſce celebris Galilaeorum haereſis orta eſt; qui eandem fouebant ſententiam, & Caeſarem Romanum ſuum agnoſcere dominum, eiusque moneta vti, nolebant

(*i*) Ioſephus lib. IV. de bel. iud. c. 4. (*k*) Ioſephus de bel. iud. lib. III. c. 2. Tacitus ann. lib. XII. c. 54. §. 3.

bant, Act. V. 37. Fortassis etiam in eadem haeresi fuerunt illi Galilaei, quorum sanguinem Pilatus cum sanguine sacrificiorum, quae facere instituerant, permiscuit Luc. XIII. 1. Praesumtio denique est Barnabam factiosum illum, & turbulentum hominem fuisse Galilaeum, quem vt damnaretur innocentissimus seruator, clamore suo liberarunt crudeles Iudaei. Quorum idcirco stultitiam iis exprobrat Pilatus, inscriptione sua cruci Christi adfixa, quod regem expectarent, & quando haberent, cruci adfigi vellent. Insignes vero erant machinae Iudaeorum, vt Christum neci traderent. Conferunt enim in eum culpam falsae doctrinae, qua deterreret atque auocaret a sua religione populum, deinde conferunt in eum culpam seditionis, quod censum dare improbaret; postea culpam maiestatis laesae criminis; & denique originis factionum Galilaearum culpam, quam electio praesertim primae admissionis discipulorum arguere videbatur. Io. XIIX. 19. Luc. XXIII. 2. 5. &c. Nulla enim re magis Pilati odium incitari videbant, quam inculpationibus istis, praesertim de Galilaeorum seditionibus. Magnum etiam nomen in factiosis Galilaeis habet Ioannes Galilaeus; qui cum horrenda, inter Romani exercitus expeditiones, patrauerat in Galilaea facinora, Ierosolymas profugit, & ibi fortitudine eius perspecta innumeros leues, homicidas, sanguinarios sibique similes viros ad se congregauit, diuites interfecit, & summos sacerdotes ab officiis suis remouit (*l*). Non minori nomine fuit Tephtaeus Galilaeus, cuius extremae fortitudini maximis laudibus inhaeret Gorionides (*m*). Insigne quoque Eleazari cuiusdam factum in Galilaea, praemio laudis auxit (*n*). Quem licet e familia Ananiae pontificis Ierosolymitani oriundum asserit; alibi tamen Samaei filium e Saab Galilaeae dicit. Variae insuper possent dari caussae tam pugnacis & bellicosi Galilaeorum ingenii. Et si secundum philosophos quosdam, patria quoque & spiritus singulis regionibus veluti proprius hominum animos rapere solet, certisque affe-

---

(*l*) Gorion. ebraeus e versione B. nostri Breithaupti lib. VI. c. 35. 36.
(*m*) lib. VI. c. 40. (*n*) ibid. c. 16. p. 596. conf. not. 4. & Iosephus lib. III. de bel. iud. c. 9.

affectibus subiicere, quod quidem veritate sua stabit: terrae Galilaeae indoli, incolarum belli & pugnarum amor esset asscribendus; nulla tamen propior caussa videtur, quam infensarum Galilaeis & bellicosarum gentium vicinitas, crebrique motus. Quod ipsum praeter scripturam S. Iud. III. 2. testatur Iosephus (o). Ideoque Deus Israelitas bellorum adhuc inexpertes, non regia ex Aegypto via, in terram Canaan duxit, sed per desertum, ne apparatu bellico Philistaeorum perterriti reuerterentur in Aegyptum. Exod. XIII. 17. 18.

XIV. Quemadmodum vero haud facile vlla gens inueniri poterit, cuius indoles & mores omnibus sint probati; vnde tot enata sunt prouerbia, quibus vnius vel alterius nationis vitia notantur; quibus Thracum & Germanorum bibacitas, Poenorum perfidia, Cretensium mendacia, Arcadum stoliditas, & aliorum alia perstringuntur: sic etiam tempore seruatoris nostri de Galilaeorum vitiis trití prouerbii speciem habet: ἐκ Ναζαρὲτ δύναται τι ἀγαθὸν εἶναι Io. I. 47. Io. VII. 52. Adeo Galilaea vere *Cabul* I. Reg. IX. 11. seq. erat Iudaeis. Quamuis autem Pharisaeorum ora exemplo Christi poterant subliniri, eoque ceu responsione Philippi ad Nathanael ἔρχου καὶ ἴδε increpari: nec non procacitas tanta, & fastus insolens, accomodato prouerbio, velut obiurgationis felle, debuisset imbui; multa tamen superant, quae pharisaeis ad Galilaeae contemtum pertinere videbantur. Primum enim Iudaei eos qui extra terram Israeliticam erant, vsque adeo despicatui ducebant, vt eos ἀθέους censerent. Puluis vero terrae Israeliticae & aer sanctior ab iis credebatur; aliarum regionum immundus. Putabant etiam mortuorum resurrectionem in sua terra sola esse futuram. Non omnis tamen regio ipsius terrae Israeliticae eiusdem excellentiae & sanctitatis habebatur; sed eas cultiores arbitrabantur, quae viciniores Ierosolymis, suo fortassis, hic est templum domini! hic est templum domini! impulsi. Galilaea autem caeteris partibus, ipsaque Samaria

(o) de bel iud. III. 2. & antiqu. XII 11. dicit: Galilaeorum nuncios conquestos fuisse, de incolarum Ptolemaidis, Tyri & Sidonis molestia, & incursionibus. conf. I. Macc. V. 15. 21.

maria a Ierosolymis erat remotior. Deinde duriore & grauiore sermone vtebantur, Matth. XXVI. 73. quem interim barbarum vocare cum aliis non audeo (*p*). Postea Cauei cura pharisaeos tuendos suscepisse videtur, cum putat (*q*): Galilaeos ciuilitati morum parum studuisse, ac parcos & infrequentes religionis cultores fuisse, ex verbis Io. IV. 45. καὶ αὐτοὶ γὰρ ἦλθον εἰς τὴν ἑορτήν colligens: mirum quasi fuisse, quod illis hoc pietatis acciderit, vt templum Ierosolymitanum & festum paschatos aliquando visitassent. Sed mirum potius videri posset, quomodo litteratissimum virum curiosa nimis haec opinio incesserit; cum Galilaeos omnia Iudaeorum solennia frequentasse, & eos etiam venisse ad festum, nempe κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἑορτῆς, & κατ' ἔτος (*r*), dicant diuina oracula. Tandem propter donationem Salomonis viginti ciuitatum Hiramo factam, paganismus cum Iudaismo confusus, gentes cum Iudaeis, adeoque eiusmodi religionis, sanguinis,

---

(*p*) Libentius hisce illud veterum φροντίδος ἄξιον adscriberem. Aliquam enim admirationem mouere arbitror: duodecim tribus Israel ab vno patre ortas, & ante partitionem terrae Canaan nunquam seiunctas; & tamen non ita longe post diuersa dialecto vsas esse. Ephraimitae pro Schiboleth dicebant Sibolerh & ceciderunt multi Iud. XII. 5. seqq. Nec Galilaea dialectus tempore Christi recens orta fuit. Quin obseruante Relando l. 1. p. 103. *Awim Deut. II. 23. nomen datum fuisse ab* עויא *quod dialecto Galilaeorum serpentem notare tradunt Iudaei.* Quis denique praeter insulsos quosdam Iudaeorum doctores de impolita Galiorum lingua, si Ierosolymitanae contenderes, perhibet? vid. Buxt. in lexico Talmud. p. 434. seqq. & Lightfoot centur. chorogr. Matth. praemissa c. LXXXVII. (*q*) in vita Philippi §. 1. (*r*) Luc. II. 41. 44. it. XIII. 1. seqq. Sacrificia facienda erant Ierosolymis, & ibi aetatem agebat Pilatus. Certo non venit in Galilaeam Herodis iurisdictionem, qui inter se dissidebant. Luc. XXIII. 21. & interfecit Galilaeos, sed sacrificaturos Ierosolymis immolauit. Et hoc creditur Herodis & Pilati simultatis caussa; quam iurisdictionis legum obseruantia, & missione Iesu Galilaei ad Herodem Galilaeae tetrarchani so-

nis, & morum mixtura introducta credebatur vulgo (s). Sed & hoc argumentum non satis firmo fundamento superstructum est. Re-

---

lennia Iudaeorum paschalia Ierosolymis celebraturum, diluit, & cum Herode in gratiam rediit Pilatus. Iosephus quoque testatur, consueuisse Galilaeos festorum dierum celebrandorum caussa Ierosolymas petentes, transire per campum magnum Samariae. ant. lib. XX. 4. in vita p. 1019. lib. II. de bel. iud. c. 2. conf. Io. IV. 4. Luc. IX. 51. 52. (s) SPANHEMIVS dub. euang. p. II. p. 627. Sunt equidem qui de donatione ista commentantur: Salomonem sapientissimum, Hiramo istas ciuitates non dedisse proprias, quod contra asscriptionem diuinam fuisset, sed census tantum ad certum tempus vi pacti 2. Reg. V. 6. 11. concessisse. Cur vero Hiramus eam terram *Cabul* vocauerit, non stat inter eruditos eadem sententia. Immerito tamen MVNSTERVS ex nomine *Cabul* conficit, eam Galilaeae partem *arenosam & sterilem, clausam & non habitatam* fuisse. Kedes enim Naphtali, in suprema eaque septentrionali plaga, secundum placita eorum qui istius tractus noscunt conditionem, magna & egregiis naturae praesidiis munita vrbs, & campi eius agrorum vbertate fertiles, cunctisque rebus plurimum fuerunt abundantes. Et Giscalae superioris Galilaeae ciuitatis incolae plerique erant agricolae. Iosephus lib. IV. de bell. iud. c. 4. vid. quae §. VII. dicta sunt. De inferiore autem Galilaea liquido constat, fertilissimam eandem fuisse regionem. Recte notat Barthol. de SALIGNIACO *in itinerario terrae S.* c. VII. §. III. de Galilaeae campi situ: *in partibus aquilonis fertilis est supra modum, exuberans frumento, vino, oleo, omnibusque mundi bonis, adeo, quod meliorem regionem credo me non vidisse.* Et hanc Galilaeae partem, regionem nempe Gennesar, ad lacum Tiberiadis, illos dixeris paradisos, ad quos Scythopolis Galilaeae terminus versus meridiem ostium dicitur veteri Iudaeorum prouerbio: *si in terris Israeliticis paradisus esset, Bethsean* (Scythopolis) *eius ostium merito haberetur.* Imprimis quoque cuidam ex istorum doctoribus memoriae proditum est: *in loco propinquo Tiberiadi, hortos esse & paradisos.* Quod cum recordationem meam pene

Remanſerant enim in omnibus fere terrae Canaan ciuitatibus gentes quas nec delebant, nec deinde poterant, filii Iſrael. Nulla ergo ratio contemtus Galilaeorum ſupereſt, quam prima, quae in quantum poſſit admitti, iuxta mecum omnes ſciunt. Ad ſummam adeo iniurioſe tractabantur Galilaei, vt quisque *inſigniter ſtupidus* interdum hoc nomine veniret (*t*). His omnibus non exſatiata eſt calumniandi libido phariſaeorum; poteratne teſtimonium cuſtodum Chriſti tumuli, eorum mentes de veritate reſurrectionis eius conſtringere? Nefandis omnibus factis & haec addenda erat blaſphemia, quam iis merito IVSTINVS MARTYR exprobrat (*u*): quod nempe delectos viros in omnem terram miſerint, iis inſtructos mandatis: impiam & iniquam ſectam a Ieſu quodam Galilaeo impoſtore concitatam, eumque inflicta crucis poena, a diſcipulis ſuis ſublatum e monumento, hominibusque perſuaſum eſſe, Ieſum a mortuis ſurrexiſſe. Hoc ipſo cacodaemonis regnum promouere & amplificare, memoriam vero ſeruatoris maximi opprimere, conati ſunt. Gentilibus etiam viris facultatem obtulerunt exquiſitiſſimam, in cultores nominis eius inuehendi, omnibusque probris, & iniectione nominis Galilaei, contumeliae ergo, afficere. Inde porro Galilaeorum quorundam ſeditio, & obſtinatio, Chriſtianis quoque tributa eſt. Vti Arrianus (*x*): *εἶτα ὑπο μανίας μὲν δύναται τις οὕτω διατεθῆναι πρὸς ταῦτα, καὶ ὑπὸ ἔθους οἱ Γαλιλαῖοι.* En furorem! en calumnias, in Chriſtum & *ἄνδρας Γαλιλαίους* diſcipulos eius! en mendacia!

CAPVT II.

DE REBVS GESTIS CHRISTI IN GALILAEA.

CONSPECTVS.

Summa & ratio huius capitis, §. I. *Hiſtoria Chriſti ante eius natiuitatem*, §. II.

---

effugiſſet, hic *ἐν παρόδῳ* ad finem huius, de Galilaeae natura, capitis attexo. (*t*) Hackſpann proleg. not. in diff. L. L. ſcript. p. 9. (*u*) in dialogo cum Tryphone p. 234. (*x*) lib. IV. diſſert. in Epictet. c. 7. conf. Suidas ad vocem *ἐπιστολή*.

§. II. *Ipsius natiuitatis & hanc sequentia*, §. III. *Acta Christi circa inaugurationem ad munus publicum*, §. IV. *Officium Christi propheticum in Galilaea, vbi simul de vocatione apostolorum*, §. V. *Doctrina*, §. VI. *Qua instituit rudes & ignaros*, §. VII. *duxit & correxit errantes*, §. IIX. *obiurgauit contumaces*, §. IX. *erexit humiles & prostratos*, §. X. *Hanc suam doctrinam firmauit miraculis tam corporalibus & visibilibus*, §. XI. *quam spiritualibus & internis*, §. XII. *Vita quoque & exemplis eandem obsignauit*, §. XIII. *in officiis erga Deum*, §. XIV. XV. *seipsum*, §. XVI. *alios*, §. XVII. *E. est verus propheta*, §. XIIX. *Officio sacerdotali, an & quousque in Galilaea functus sit?* §. XIX. *item Officio regio*, §. XX. *Acta Christi in Galilaea post resurrectionem eius*, §. XXI.

I.



QVo contemptius vero Galilaeae solum iniquae pharisaeorum & reliquorum Iudaeorum multitudini fuit: eo plus honoris eidem Christi praesentiae, habitationis, & gestarum rerum ornamentis accessit. Haec in hoc ipso capite sunt percensenda; vt deinde expeditum constet, quam clara gestis rebus Christi facta sit Galilaea. Sed certi ordinis ergo historiam Christi ante & post natiuitatem non minus, ac ante acceptum munus, e sacris monumentis primoribus saltim labris attingam; & quae deinde initiatus ad idem in Galilaea egit, ad officii Christi triplicis vnum enitar referre: ac tandem acta Christi in Galilaea post absolutum redemtionis hominum opus, absque omni verborum & eruditionis aucupio exponam. Haec facient ad Galilaeae claritatem celebrandam.

II. Ex quo enim statutum tempus venerat, quo omnium potentissimus DEVS coelos rumpere, & exiguae orbis tractui humano corpore sese insinuare parabat; quoque admirandae originis stirpisque geminae HEROS tanquam surculus ex trunco parum ad mundana sceptra idoneo Ez. XIX. 14. 10. 11. & radicibus Isai Ies. XI. 1. debebat exsurgere: confestim coelestis ille praeco & paranymphus Gabriel, iam quarta vice in rebus Messiae legabatur in ciuitatem Galilaeae Nazareth, ad Mariam de familia

Dauidis virginem. Quae cum auide, & compoſita mente exceperat angeli nuncium, idque ſibi vt accideret ſummiſſe precabatur; filius DEI virtus altiſſimi ceu ſponſus ſponſam eam obumbrabat, & pariter ac infantes ineffabili modo particeps fiebat carnis & ſanguinis, vt factum a tota S. S. Trinitate de reducendo humano genere decretum exequeretur. Quemadmodum vero profana laetitia loquax res eſt, atque oſtentatrix ſui, a quo morbo magnae parti hominum nulla eſt cautio: ita diuina Mariae laetitia loquax quidem, & oſtentatrix, ſed gratiae tantum maieſtatisque diuinae erat. Luc. I. 41. ſeqq. 46. ſeqq. Inter haec enim ſurgebat, & ad cognatam Eliſabetham (y) cui ſterili & prouecta aetate, filius magnorum & ſingularium morum quoque promiſſus erat, per montium aſpera & vallium depreſſa proficiſcebatur, vt in ſocietatem atque communionem tantae laetitiae mutuo venirent. Hoc in montana graue iter & longum e Galilaea, in vtero matris ſuae totius mundi ſalus vna fecit, ibique prodromus ac praecurſor eius item iam in matris vtero incluſus, ei exultando obedientiam Io. I. 7. 31. ac honorem quaſi promiſit. Adeo ſuauis pariter ac efficax erat Mariae ſalutatio cum iam Dei mater eſſe coeperat, vt imperfectus adhuc infans eandem exaudiuerit. Et omnino ſancta haec conſortio virtutem omnipotentis Dei, eiusque ſpiritus conſpirationem, prae ſe ferebat. Loquebantur enim de rebus non niſi deſuper iis patefactis; Eliſabetha non minus, angeli effata repetendo, & Mariam matrem domini ſui vocando; quam Maria Devm magnificando. Dum vero haec ipſa agnatae ſuae Eliſabethae diu operam ſuam praeſtiterat, ciuitatem Nazareth repetiit.

III. Inſtabat iam coeleſtis partus, ſed in Bethlehem edendus,

---

(y) Qua ratione Mariae Eliſabetham adiunxerit affinitas, cum illa e tribu Iuda & Dauidis ſtemmate, haec Leui & poſteris Aaronis oriunda fuerit, mouetur quaeſtio; quam examinare mea non adeo refert. Veroſimillimum tamen videtur id, quo dicitur ſacerdotes lege Num. XXXVI. 8. 9. obſtrictos non fuiſſe, quia illis haereditas non erat. Debeat ergo natales ſuos tribui Iudae, a quonam parente perinde eſt.

dus, vt ſcriptura S. impleretur. Auguſtus ergo imperator religionis alioquin Iudaeorum contemptor, omnem Romanum orbem ſibi ſubiectum, vt tamen faſtus eius nutui diuino eſſet ſubiectus *agris diuidi cenſuque deſcribi*, ſi Caſſiodoro (z) fides, iuſſerat. Ideoque Maria profitebatur tribum ac familiam ſuam, & veniebat ad ciuitatem Dauid Bethlehem. Hac tempeſtate rerum omnium conditor *cuius exitus ab initio, & ab aeterno fuit*, pauper infans in paruo terrarum angulo natus eſt: cum tabernaculum Dauidis erat collapſum Amos IX. 11. Act. XV. 15. 16. & ſtirps eius non ſtabat, quaſi Dauidis eſſet, regia dignitate, & vt cedrus florens; Ez. XVII. 22. ſed vt truncus Ieſſe ignobilis ac obſcurus. Non erat enim parentibus quos inter Iannae poſteritatem paupertas expulerat in Galilaeam, in ſua tribu caſa, aut locus vbi dignius potuiſſet demitti rex regum infans. Cuilibet inde futuri regni eius conditionem, & hominum ſalutis ordinem licebat colligere. Vt vero ad veritatem Dei, quae patribus erant promiſſa confirmarentur, Rom. XV. 8. Chriſtus legis finis Rom. X. 4. circumciſionem vsque ad tempus correctionis ſtabilem patitur, & nomen eius vocatur Ieſus. Poſt haec allato pro eo ob indigentiam parentum pare columbarum, Deo patri in templo Ieroſolymitano ſiſtebatur. Sic profitebatur ſemen Abrahae & patrum, nec erat, quo offenderet Iudaeos. Obſeruatis itaque diuinis inſtitutis & conſiliis: donabant nouo Iudaeorum regi, magno ſideri ex Iacob Num. XXIV. 17. primitiae gentium magi (a) qui eius ſtellam viderant, regale viaticum; debitoque honore, ad ſignanda tria eius officia, aurum, thus, & myrrham offerendo, afficiebant. Protinus enim vt per infeſtas manus ſitientis ſanguinem Herodis tyranni & interfectoris primorum, gentium deſiderii Ieſuli, martyrum puſillorum, euaderet, cum parentibus conceſſit in Aegyptum. Poſt Herodis mortem iis reuocatis habitare in Bethlehem placebat forſan

(z) libro 3. epiſtola 52. Varias eruditorum de hoc Auguſti cenſu mitto quaeſtiones.

(a) Fuerint, militantibus eruditis, Perſae aut Arabes; & ſidus, quod viderunt, fuerit vel cometa, vel ſplendor inſolens, aut nouum omnino, a ſiderum rectore, infixum coelo aſtrum, aut angelus ſtellae ſpeciem repraeſentans; partim mihi perinde eſt, partim non mei inſtituti.

ſan magis, quam in Nazareth; ſed ad hanc proficiſci iuſſi ſunt. Hoc pacto *Nazarenus* & *Galilaeus* multis caſui, multis etiam ſaluti erat in Iſrael, Luc. II. 34. Io. IX. 39. Iudaei enim maximam ex eo habebant offenſionem, quod eſſet Galilaeus; Io. VII. 41. alii quod parentes & originem eius nouiſſent, Io. VII. 27. ſiniſtra fortaſſis illius Eſ. LIII. 8. vaticinii interpretatione decepti; cum tamen Galilaeam de aduentu Meſſiae paſſim celebrarint veteres Iudaeorum doctores. Obſeruant nonnulli, libro Sohar in Exodum fol. 3. col. 3. 4. *de columna ignis quae in Galilaea apparitura ſit, aduentante Meſſia multa praeclare dici* (a). Quae alii de aquis Mearoth in Galilaea, conuertendis in ſanguinem ſub aduentu Meſſiae, non minus de decem Schechinae, typi ſeruatoris, qui ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν Io. I. 14. migrationibus docent, miſſa faciam. Quis ſummam ſapientiam diuinam ex dictis non cognoſcit? quis miſeram ſeruatoris in his terris conditionem grate non mirabitur? Quibus enim calamitatibus & aerumnis totius mundi ſoſpitator infans etiam expoſitus; & omnium humanarum imbecillitatum gradus eſt emenſus? Poſt reditum in patriam, & iuſtam adque inſtitutionem aptam aetatem, eum a parentibus more ebraeorum liberaliter, ita tamen vt praeſtare alios plebeios pueros non videretur Io. VII. 15. educatum eſſe, vel inde patet; quia annum duodecimum ingreſſus ſolennia Iudaeorum paſchalia celebraturus, cum parentibus Ieroſolymas venit: ibique parentum incuria, non in eos contumax aut impatiens, ſed eos quidem honorans, praeponens autem coeleſtem patrem, remanſit, omniumque admiratione magnorum Iudaeorum doctorum colloquiis ſeſe inſinuauit. Deinceps vero cum parentibus redibat ad patriam ciuitatem, manusque ſuas eorum egeſtati, vt fabri tignarii filius Marc. VI. 3. commodauit; iisque erat ſubiectus, Luc. II. 51. & in ſudore faciei commedebat panem. Laborem eius ac negotia definiunt veteres; vt ſepoſitis omnibus euangelii infantiae incertis hiſtoriis hoc vnum attingam, Iuſtinus Martyr (c) inprimis praecipit: Chriſtum in fabrili officina operarium ha-

(a) D. MAIVS in ſynopſi theol. iud. loc. VIII. d. Meſſ. §. XII. p. 149. (c) in dialogo cum Tryphone p. 316.

habitum, carpentaria opera, iuga & aratra fecisse; eoque ipso iustitiam suam non minus signasse, ac laborandum esse assiduo, non ociandum, docuisse. Quod si verum est, vti videtur, quam felicem & frugalem eam arbitrabimur operam, quam maxima sui despicientia, & obtemperatione, parentibus praestitit seruator vnicus! Rideat cacodaemon; sint Iudaei dicaces; Marc. VI. 3. ludat profanus ille Antiochenus orator Libanius & quaerat ex ficto Galilaeo, christianarum scholarum magistro, quid moliatur fabri operarius, quid fabricetur? profecto DEVS sui irrisionem non admittet. Iuste enim respondit ludimagistri ad magni oratoris quaestionem vaticinio, quo tignarium fabrum mundi fabricatorem in conficiendo domini sui Iuliani feretro esse occupatum dixerat, euentus. Quippe cum nocte ante mortem, genius vel spectrum Iuliano apparuisset, sequenti die animam nefanda voce exhalauit (*d*). Sic etiam satis ardua erunt, & grauia istis cauillatoribus iuga & aratra praepotentis seruatoris Christi.

IV. Trigesimus, Leuitici etiam muneris ingressui sanctus, Num. IV. 23. 47. a natiuitate Christi numerabatur annus, ad quem vsque vitam priuatim in Galilaea transegerat; cum iam sibi oblatum munus inire pararet, & legitime vellet initiari. Venit ergo ex Galilaea ad Ioannem, primum N. T. doctorem, in Iordane baptizantem, deque externa forma istum haud noscentem, Io. I. 31. ibique maxima praesente turba baptizatus, spiritu S. abundantius exornatus, & doctor est renunciatus. Sicut enim circumcisione sua cultum iudaicum obsignauit, Iudaeosque saluare, ita etiam christianorum baptismo dare voluit initia, & sacrati roris perfusione gentibus esse saluti. Maxime vero ideo aqua tingi voluit, vt more Ebraeorum pontificis, reliquorumque sacerdotum, solenni quasi inauguratione ad docendum, contra pharisaeorum accusationes Io. V. 37. possit inniti, Ier. XXIII. 31. sicque omnem implere iustitiam. Matth. III. 15. Hoc ipsum cum spirituum in aereis sibi dominium arrogantium princeps, finemque Christi aduentus, euersionem videlicet regni sui intellexit; confestim pestilenti inuidia actus, cum eo cuius re-

(*d*) Amm. Marcellin, lib. 25. c, 2. Theodor. H. E. l, III, c, XIIX.

gni ante creatos homines aemulus (*e*) hostis fuit, quadraginta dierum inedia confecto, importunum admodum in deserto certamen iniit. In quo profundissimos malitiae & calliditatis suae thesauros simul prodidit: quaestiones scepticas, & simulatum suum amorem, vngues denique tenacissimos, quibus leo arguebatur. Seruator enim non minus tres eius impetus grauissimos fortiter sustinuit, gloriam, voluptatem, ac diuitias spernens; quam totius tentationis auspicia, inter miraculosum ieiunium, vt probabili ratione coniicitur, suggestiones, & ignita tela, bestiarum denique lemurumque terrores: & tentatorem profligauit. Quam vere misericors pontifex sensu infirmitatum nostrarum affectus, & hostem quis, qualis, & quantus sit in infirmitate carnis expertus est; cum diuinitatis vsu sese euacuauit, eumque in graui hoc certamine diu celauit! *Non enim tentandum se exposuit Diabolo, vt diuini-*

(*e*) Statim enim inter initia mundi maiestatis diuinae inuidus hostis fuit; putatque celebris ecclesiae nostrae theologus, Io. Brentius ad Io. IIX. 44. ea propter diabolum pristina statione priuatum esse, *quod fauens mendaci suae spei, noluit maiestatem filii DEI obedienter adorare, sed vendicauit sibi potius dominationem, & hoc egit, vt abiecto filio DEI ipse omnium rerum potiretur. Et hominibus persuadere allaborauit, vt contempto Christo filio DEI arrogent suis virtutibus laudem, gloriam & meritum iustitiae ac felicitatis. Diabolus enim fuit mendax & homicida seu occisor priusquam homo creatus est. Et nisi ante peccasset, non fuisset e coelo deiectus.* Lactantii etiam sententia aliquatenus concordat hisce, lib. II. instit. diu. c. 8. *Cum esset*, inquit, *DEVS ad excogitandum prudentissimus, ad faciendum solertissimus, antequam ordiretur hoc opus mundi: produxit similem sui spiritum, qui esset virtutibus DEI patris praeditus. Deinde fecit alterum, in quo indoles diuinae stirpis non permansit. Itaque suapte inuidia tanquam veneno infectus est, & ex bono ad malum transcendit, suoque arbitrio quod a DEO illi liberum datum fuerat, contrarium sibi nomen adsciuit. Vnde apparet cunctorum malorum fontem esse liuorem. Inuidit enim illi antecessori suo qui DEO patri perseuerando tum probatus, tum etiam charus est.*

uinitatis integritas probaretur, sed vi tentatoris praesumptio confunderetur (*f*). Sed cum haec & quaedam ante haec dicta non sint mei instituti, nec in Galilaea acciderint, nisi, quod non nemo suadet, montem illum excelsum e quo seruatori diabolus omnia mundi regna ostenderit, montem esse Galilaeae, credas. Hoc autem aeque incertum est, ac desertum in quo Christus fuerit tentatus; alii nominant Quarentanae, alii iudaicum, aliis Bethsaidae desertum non ita procul, ac illa, a Bethabara dissitum posset videri. Non ergo longius ibo, sed quomodo Christus omnia veri prophetae munia in Galilaea impleuerit, videbo.

V. Finem certamini imposuit victoria Christi, coelestiumque ministrorum satellitium. Iter itaque in Galilaeam ad obeundum sibi delatum munus Luc. XXIII. 5. ingrediens Io. I. 29. venit ad Ioannem, ad Ierosolymitanos legatos praeclare de eo loquentem, suscepitque munus propheticum, & vocauit discipulos Io. I. 37. seq. vt sint filii prophetici, & testes actorum eius Act. X. 39. 40. seqq. 1. Io. I. 1. seq. quique testimonium eius habeant, Apoc. XIX. 10. & mittantur prophetae Luc. XI. 49. Ex his deinde dedit partim apostolos, partim vates, euangelistas, pastores, & magistros Eph. IV. 11. 12. 13., Luc. XI. 49. Et hoc ipso non secus ac Moyses in tota domo sua pius erat in patrem, quin multis eum parasangis post se relinquens; ille seruus, Christus erat filius. Iustus vero vocationis apostolorum Christi aestimator, non mirari desinet maximam Dei sapientiam. *O vere consilium excelsum, & sapientiam immortalem, & doctrinam nouam, deque coelo allatam politiam* (*g*)! Ex plebe infima tanta Dei instrumenta erant selecta, ad negocia nec humana, nec naturalia, ponenda scil. vbique ecclesiae Christi fundamenta, quod humeri summorum pontificum, scribarum, & sacerdotum ferre recusauissent, & factu fuisset admodum difficile. Nam omnis verae sapientiae fontem, traditiones Iudaeorum, gentiumque philosophia & superstitio obsederant clausum; populoque e fontibus aliquid viui, & sereni haurire, vix erat integrum; sed riuulos consectari super humanarum traditionum lutum deductos, atque

(*f*) Cypr. serm. de ieiun.

(*g*) Basilius Seleuc. orat. 30.

que crassos, oportebat (*b*). Christus contra omnes fontes multo studiosius aperiebat, & demonstrabat; eosque purgatos ab istis corruptelis denuo statim corrumpi nolebat. Sicuti ergo natiuitas eius, arcte & grauiter dormientibus primoribus, & magnis, primo omnium pastoribus patefiebat; *quorum innocentia & simplicitas electa est, vt laus Christi perficeretur: Et a pauperibus & humilibus praedicatio paupertatis haberet initium* (*i*); ita non elegit magnos doctores, & philosophos, ne veritatem coelestem alienis superstrueret fundamentis; Rom. XV. 20. sed ignobiles atque plebeios, oris & sapientiae expertes Luc. XXI. 15. vt coelestis eius sapientia quam ex sinu patris integerrimam, atque clarissimam deportauerat, non statim ab initio vitiatae carnis prudentiae additamento confunderetur, sed instar aquae in riuulis, quo propior scaturigini eo elaberetur serenior, omnesque scirent conuersionem hominum, non opus esse naturale aut terrestris sapientiae, sed solius gratiae & virtu-

---

(*b*) Excoecati fere erant Iudaeorum primores, quando illotis manibus edere & meretricari aeque aestimarent; in lotione vero quae σύμβολον ἀνυπαιτίε ζωῆς erat, Philo *de vita Moysis* lib. III. munditiem animi omnem quaererent. Iniurii vero & insanabili furore correpti erant, cum tempus quod diuinis oraculis impendatur, perditum, beatum contra quod traditionibus, gaudio sc. pectoris ossiumque sanitati, ducerent. CAVE in Antiquit. Apost. introd. §. XX. XXI. p. m. 110. 111. Verum ergo quod vir doctissimus IO. HENR. MAIVS in *synopsi theol. iud.* p. 2. ex ipsis traditionibus doctorum Iudaeorum dedit: *Filius Dauid non venit, donec omne regnum in haeresin lapsum fuerit; sapientia scribarum foetebit, & veritas deficiet Es. LIX. 15.* Et plane nescio, an malitiam magis, quam inscitiam eorum arguerit legatorum ad Ioannem expeditio. Quaerebant an sit Messias? hic tamen ex tribu Iudae futurus; Ioannes vero e tribu Leui ortus erat. Praestabat sane magnis istis magistris, vera sapientia gentilis & Syrophoenissa mulier, Matth. XV. 22. Gentilium vero philosophi ex toto in tenebris sedebant, stultitiae inclusi carcere, non agnoscentes DEVM, & veritatem. (*i*) Cyprianus in serm. de natiu. Christi.

virtutis diuinae. Illos igitur, quos cultu fecisset optabiles fama litterarum, vt Paulum, exuere oportebat humanam sapientiam, vt Christi sapientiam augusto & puro exciperent pectore. Nouum enim vinum coelestis sapientiae, & mysterii crucis Christi, in recentibus quaeritur vtribus; imbuti vero aliis liquidis rumpuntur, & vinum effunditur. Matth. IX. 17. Nihilominus quoque multa purgamenta e pectoribus discipulorum auerruncauit seruator, quam vocationis suae finem accurate nouerunt. Humanitas autem Christi inter haec summa erat in discipulos; fermentum pharisaicum iisdem inuisum faciebat, per gradus eos efferebat funibus amoris & hominum, demulcebat mentes exquisitissimis regni coelestis adumbrationibus & figuris, vt eas voluerent & pensitarent; nec tamen doctrinarum studiorumque copia aut magnitudine eosdem obruebat; Io. XVI. 12. sed institutis examinibus suauissimis corroborabat. Matth. XVI. 13. seqq. Luc. IX. 18. seqq. Adeo non conuenit consilia diuina inter & rationem humanam, destinationesque pharisaeorum. Mundi enim stultissima elegit Deus, vt sapientes confutaret. 1. Cor. I. 27. 28. (*k*)

(*k*) Tumido contra pharisaeorum ingenio, homines casso, ventosarum traditionum suarum strepitu, ventre, intolerabiles erant, & עם הארץ *populus terrae* vocabantur. Quique duceret filiam hominis indocti, aeque maledictus sit, quam qui cubuisset cum bestia, esset enim bestia. Hoc quidem pacto male moratae & lasciuae eorum filiae litteratis aliis poterant obtrudi. Nec licebat illitteratos in testimonium citare, nec arcana iis reuelare. Io. VII. 49. Inepti ideo visi sunt pharisaeis qui de rebus tanti momenti testarentur, apostoli. Et cum forsan a plebe quae inaugurationi Christi interfuerat, vocem coelestem acceperant, eius autoritas apud primores suos non valebat; mittebant ergo ἐντιμοτέρους eruditione ac prudentia insignes ad Ioannem. conf. summe reuerendi Dn. D. Danzii inaug. Christi §. 72. p. 261. & §. 76. p. 273. in notis. Illi enim sapiebant soli, reliqui volitabant sicut vmbra. Nihil ergo deerat, quam vt professae Luc. XIIX. 11. pietatis ergo sibi scalam erexissent & ad coelum soli ascendissent, quod Constantinus epi-

Hoc ipso nihil fere magis sapientiam Dei verbis inexplicabilem arguere arbitror. Ideoque gratias agit & effert coelestem patrem seruator optimus; Matth. XI. 25. Verum plurimos discipulos vocauit Galilaeos, inque Galilaea congregauit. Iudas quem Iudaeae Kerioth, aut oppidum quoddam Iscari creditur genuisse, vnde vel איש קריות siue Iscarioth, aut a tribu Issaschar dictus sit, inhabilis ad apostolorum munia, ab eorum virtutibus degenerauit. Istius rei caussam ponunt qui allegoriis delectantur: quod לגלילים volubiles, orbes, 1. Reg. VI. 34. esse debuerint; vt in omnem terram exiret sonus eorum; Ps. XIX. 5. & euntes docerent omnes gentes; Matth. XIIX. 16. nec starent in foro ociosi. Matth. XX. 3. Proximam tamen causam arbitror: Deum voluisse innuere se humili & abiecto delectari & vti. Vnusquisque eorum vocationis diuinae sensit stimulum, atque virtutem diuinam, omnipotentiam, & omniscientiam, qua Christus mentis habitus nouo indito nomine exprimebat. Omnia enim interiora eorum vel ante primam faciem, erant expedita. Primi, vt opinio est, ex Ioannis fuerunt discipulis. Andreas πρωτόκλητος, & Simon Petrus. Philippus rectius τὰ πρωτεῖα habens, quippe qui primum secutus est, illi vero de institutione, cum Christo tantum transegerant, Io. I. 44, & verus Israelita Nathanael siue Bartholomaeus; Iacobus & Io-

scopo Acesio suadebat, Socrat. l. 1. hist. eccl. c. 7. O si candidissimam & integerrimam, post illos doctoris iudaici Kimchi, confessionem ad Iob. XIV. 3. qua intima pharisaeorum feriit, & penetrauit, & ipsi tenuissent, adeo procaces non, sed fractiore eos fuisse animo credo. *Etiam*, inquit, *institiae nostrae, quas nos facimus, non sunt acceptae sed spretae, quia eas non facimus, nisi vt in iis gloriemur, & efferamus nosmet ipsos, & inuideamus alter alteri*, conf. laudatus D. Maius l. c. loc. X. de iustif. §. III p. 156. Nihil certe abstrusis pharisaeorum dolis & insolentiis detegendis accomodatius, nihil aptius. Hoc autem omnes litterati & sibi dictum debent putare, quod Augustin. l. 8. confess. 8. habet: *surgunt indocti & rapiunt coelum, & nos cum litteris siue doctrinis ecce in carne & sanguine volutamur, i. e. in vanitatibus mundi & coeno.*

Ioannes; non minus fratres Christi, Iacobus minor, Simon Zelotes, Iudas Thaddaeus, Matthaeus & Thomas. Hos omnes e Galilaea ortos non contemnendis rationibus existimat saepe laudatus Caue; (*l*) omnes etiam in Galilaea instituti, & emissi sunt. Luc. IX. 2. Reliquos, vt & LXX. discipulorum multitudinem, aliasque turbas sequentes Christum, Marc. VI. 31. VII. 24. Luc. V. 15. VI. 17. 18. HX. 4. taceo.

VI. Vocatis quibusdam miraculorum atque coelestis doctrinae testibus, venit cum iis in Galilaeam, & antequam inciperet docere populum, quaedam fecit miracula. Deinde munus propheticum exorsus est filius ἐγκόλπιος patris, huius de salute hominum voluntatem exponendo, atque salutis viam monstrando. Summa vero & argumentum omnium concionum eius hoc erat, quo ibi incipiebat, vbi desierat praecursor Ioannes: elapsum esse tempus, instare nunc regnum Dei, patiantur ergo homines se corrigi, & credant. Matth. IV. 17. Marc. I. 15. Tanto certe studio instituendi populum palantem & errantem Matth IX. 35. 36. flagrauit, vt eius misertus, crebris peregrinationibus per omnes Galilaeae ciuitates & vicos obiuerit (*m*), Luc. IV. 25. Marc.

 I. 39.

(*l*) l. c. vbi haec omnia fusius sunt exposita; sufficit hic dixisse: Christum eos e Galilaea oriundos in apostolorum ordinem transtulisse, atque cum iis ibidem plurimam egisse aetatem. Simonis quidem qui Zelotes dictus, patriam, recensio patriarum 12. apostolorum ex codice regio edita post chronicon paschale p. 438. (Rel. III. p. 722.) Salim, vbi Ioannes baptizabat, facit: sed probabilius de eius patria est quod habet Caueus; cum dicta recensio patriam Petri pro Bethsaida dicat Thebaiden.

(*m*) Lectissimam piis meditationibus ansam praebent dura Christi itinera, quibus hominum salutis ergo, itiones longas, & mansiones asperas, accessiones frigorum, decessiones dierum, & alia noxae opportuna, quibusque adhuc infans, teneris pedibus officium ambulandi negantibus, assuefactus Matth. II. 14. non vitabat; sed boni pastoris ad instar nullum tempus praetermittebat, nullumque fugiebat sudorem, si modo seruaret ouem. Ea hanc ob rem petebat loca, vbi omniscientia eius auxilium su-

I. 39. Luc. IIX. 1. sabbathorumque diebus, in synagogis legerit atque docuerit. Luc. IV. 16. Inter omnes vero sermones Christi in Galilaea habitos, praecipue illi sunt notandi, quos euangelistarum monumenta enarrant copiosius. Primam Christi orationem, quam omnium dixeris solennissimam (*n*), in patria ciuitate Nazareth, ad quam, adulta & media hyeme, laborem itinerum augente, se receperat, maximo in eandem studio, in

---

um acceptius, magisque necessarium nouerat; vbi multi simul sapientiae eius verba audire, & omnipotentiae facta videre, seruarique possent: quod sane non factum esset, si vno semper loco remansisset. Nullum ergo vnquam oblectamenti caussa, vel vt modo abscessu, modo discessu variaret locorum distinctionem, iter fecit; sed vt multis eorum maiori commoditate seruiret: & ita nemini cogitando adsequendum, aut satis fando celebratum amorem & studium, in quaerendis perditis ouibus e domo pariter Israel, Matth. XV. 24. XXIII. 37. ac gentibus ad ouile suum ducendis, Io. X. 16. filiisque Dei cogendis in vnum 1. Io. II. 5. manifeste declararet. Ea propter toties etiam per Galilaeam est profectus vt regnum Dei promoueret. Diabolus enim, qui ab initio coelestem veritatem, inuidus, affectauit exprimere, constans item est *Peripateticus*, si ita loqui fas erit, Iob. I. 8. II. 1. 1. Petr. V. 8. sed vt leo rugiens quaerit quem deuoret, & sicut fur furetur, mactet, perdat. Io. X. 10. Christus autem ad Dauidis instar eundem persequutus est, vt haedulos leonis & vrsi faucibus eriperet, atque seruaret; humillime incessit, absque vanae gloriae ostentatione & strepitu, vt confunderet aduersarium. Longum vero foret omnia Christi per Galilaeam itinera hoc loco referre, quippe ibi fere solum egit, ibi multum docuit, eamque permeauit sedulo, conf. SANDHAGENI *kurtze Einleitung die Geschichte unsers HErrn IEsu Christi zu betrachten.* (*n*) Obtulit se se seruator (vt quidem Lightfootus putat) in synagoga Nazarethana pro Maphtir, qui non semper legit Parascham, sed quandoque Haphtaram; offert Chazan siue aedituus codicem Iesaiae, ex eo legit ipse seruator textum, & sedens hunc attentis primum auditoribus exponit mirifice.

in verba Ies. LXI. 1. seqq. recitauit. Et cum forsan regni Messiae, quod iam venerat, prosperitatem, ad eos inprimis pertinentem, ex prophetae verbis explanauit; magna erga eum reuerentia persusi, omnes in eum coniiciebant oculos, & vehementer se mirari ac stupere confitebantur Nazarethani. Quam primum vero pectora feriebat veritas, praetereaque parentibus Christi apud eos pondus nullum erat; in extremum vitae periculum adductus est, suoque, quod dixerat, firmauit exemplo: nullum vatem esse acceptum in sua patria (*o*). Luc. IV. 15. 16. seqq. Altera

(*o*) Tantae in Christo offensionis excusatio, quam Nazarethani obtendebant, lubrica erat & stulta. Arbitrabantur enim in tam abiectae sortis hominem tantam virtutem & sapientiam non cadere. *Nonne*, inquiunt, *hic est Iosephi filius?* Et ea plerunque rerum est facies, vt peregrina placeant ingenia, nouandis saepe quam gerendis rebus aptiora, sicut platani ex alienis regionibus vmbrae gratia petiti, qui deinde de sola peregrinitate gratiam possident. Quamuis quidem & hic valeat illud, quod dicitur: *Hoc viridi si contingit ligno, quid arido fiet?* Quamuis, inquam, & nostra aetate in solo patrio aut rara sit, aut nulla vatum gratia. Et hoc, quod ex dictis constat, ob plurimos populares intempestiue curiosos, eorumque nimiam ingeniorum exterorum curam & desiderium, internorum quasi exhaustorum neglectum & inuidiam, variasque status rationes impias. Veruntamen quo verius illud Ouidii lib. I. de Ponto (conf. Thom. Lansius orat. contra Germaniam.)

Nescio qua, natale solum, dulcedine cunctos,
Ducit, & immemores, non sinit esse, sui:

eo libentius omne studium, omnemque operam patriae commodare fructui omnes decet ad exemplum Christi, qui primum docens ciues Nazarethanos, eiectus est; duplici tamen vice postea doctum ad eos venit: licet quod plerisque solenne est, & pessimum quod habent animi magna virtute insolescentes, vt quos laeserint, oderint, & Christo accidisse, eosque qui eidem pinnas incidisse sibi persuaserunt, renasci noluisse, & ita nec audiuisse, nec secutos esse, ex N. T. apparet fastis.

tera Christi oratio, quam exponunt euangelistae, ea est, quam in monte Galilaeae prope Capernaum, non notum certo nomine, pronunciauit. Matth. V. seqq. Fundamentum haec est omnis doctrinae christianae. Loquitur primum de felicitate sincerorum vitae suae sectatorum, nominatim *spiritu pauperum*, qui vt angustam ad vitam portam irrumpant, omnia, quae sui ipsius studium, & de seipso existimationem arguunt, detraherent, eorum esse DEI regnum; *lugentium* deprauatas & vitiatas animae facultates, quique iactationum tumultuumque exinde cognoscerent necessitatem, & admirarentur, illos exquisitissima voluptate & vitali rore, ceu grauidis vberibus, esse rigandos; *mitium*, qui omnes hostium insultus virtute spiritus mansuetudinis sustinerent, illos non huius aeui bonis modo, quae tenebrarum filii ipso facto quasi & petulanter inuadunt, affluentes, sed coelestium quoque suauitatum fore haeredes; *esurientium & sitientium* iustitiam, illos secundum imaginem suam experrectos saturari; *misericordum*; *corde purorum*; *pacificorum*; *vexatorumque*, singulorum felicitatibus interpositis. Quae ne effundantur, omnes iubet circumspicere, ne sicut salis puri flores, ecclesiae foecundantes agrum, infatuati fiant; sed luceat lux eorum assidue inter mortales, ad DEI gloriam. Omnes enim virtutes pugnant, sola perseuerantia coronatur. Deinde veram legis voluntatem exponit, Iudaeis abstrusiorem; vt omnes habeant regulas, queis vera & falsa iudicentur, quaeque actiones nostras forment, & dirigant. Lex Moysis enim non omne vetitorum genus, sed vnaquaeque lex partem quandam tantum, eamque horribiliorem refert expresse; ea explicat seruator dilucidius, accomodatisque illustrat exemplis: tres etiam hominum affectiones & concupiscentias aeque perstringit, atque monstrat, quomodo, & qua ope possint declinari, & reprimi. Profecto hac Christi, in monte Galilaeo, concione, qua exacte adeo legem, in monte, populum arcente, datam, maxima, euangelicis priuilegiis, praesente turba explicauit, nemo habuit vnquam absolutiorem, nemo quoque habiturus erit. Iam omnis mortalium sapientia infatuata erat, omnem philosophorum Iudaeorum ac gentilium bene viuendi rationem oportebat obmutescere, cum

ipsa

ipsa veritas ea proferret, quae non nisi ab eadem disci possunt: optime iam institutum & viam ad salutem monstrauit, quam ipse stillante, de perfossis manibus pedibusque eius, sanguine, ingressus est, & signauit. Post hanc variae, quas naui insidens, eque infinito suo promptuario καινὰ καὶ παλαιὰ depromens, commentus & locutus est similitudines, collationem atque imaginem regni eius habentes, sunt insignes: de semine, de quadruplicibus agrorum ingeniis, de luce, de fermento, de thesauro, de vnione preciosa, de euerriculo, & alia, singula immensae Christi sapientiae argumenta. Iudaei enim doctrinae eius de abrogatione cultus ideis inuoluti, inque huius locum substituendi sanctioris, cuius sectatores coelestem patrem spiritu & veritate prosequerentur, summe erant impatientes. Notanda est praeterea molesta ista ac dura, multorum obduratis, & curatis conuersionibus nondum mitiora factis pectoribus, visa; sed mysterii & solatii plenissima, de spirituali panis potionisque coelestis perceptione oratio: qua finita multi discipulorum abierunt, vsumque & consortium Christi recusarunt. Egregie porro ad discipulos populumque, in Galilaea, comites dixit de sui abnegatione *magna ista*, AVGVSTINO (*p*) interprete, *& mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor, vt pereat, odium ne pereat. Si male*, addit, *amaueris tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.* Vltimo tandem cum discipulis Galilaeos videtur instituisse seruator in schola Capernaitica, concionibus eius maxime frequentata, cum placabilitatem exposuit eamque commendauit sedulo. Sed quia inter nullos fere magis disceptatur scriptores, quam eos, qui de *harmonia euangelistarum* commentati sunt, plures Christi sermones incitatissimos qui in Galilaea videntur habiti, quosque inprimis Lucas XII. vsque ad c. XVII. 10. exhibet, omittam. Taceo quasdam cum pharisaeis in Galilaea disceptationes, maximis saepe salutis doctrinis refertas. Taceo frequentes populi institutiones in synagogis, similitudinibus, & exemplis exquisitissimis passim illustratas, quarum argumenta quidem non expresse habent N. T.

pa-

(*p*) ad Ioan XII. 25.

paginae. Luc. IV. Marc. I. Matth. IV. 17. 23. Marc. II. 2. Io. XIIX. 20. Taceo ſermones Chriſti locis incultis, montanis, viis, ac mare factis. Quotiescunque enim facultatem docendi ſibi oblatam cognouit; more ſolito, Marc. X. 1. VI. 34. Matth. XIV. 1. Io. XIIX. 20. locutus eſt ad populum, vt indicaret, verbum diuinum non ad ſelectam domum, aut roſtra eſſe alligatum, ſed tempore ac neceſſitate ita flagitantibus, rupum antra, montiumque cauernas ad exponendam diuinam legem aptas eſſe (q). Equidem ſeruatori ſapientiſſimo ſaepe non erat locus, vt omnes eum audire potuiſſent. Summo enim cum applauſu docebat in Galilaea, vt eos, qui confluxerant, ne veſtibulum quidem caperet; Marc. II. 2. nec ipſe cibum ſumere poterat, Marc. III. 20. & inſanus dicebatur ob infirmitatem, quae eum afflixerat perpetuo labore contracta (r).

VII. Fidelitas Chriſti in docendo inſpici poteſt penitius, ſi fidi prophetae & doctoris officia, quae cuncta ad praedictionem Ieſ. LXI. 1. ſeqq. ſeruator diligentiſſime exſequutus eſt, ſingulatim attendimus. Primum ergo vero ineſſe prophetae debet διδαχὴ 1. Tim. III. 2. vt διδακτικὸς & ad docendum aptus ſit: *Non* enim Cicerone iudice; *ſolum ſcire aliquid artis eſt, ſed quaedam etiam ars docendi.* Quem vero latet quanta ſeruator in docendo ignorantes valuerit prudentia, & quanta praeſertim Galilaeis aſſiduitate ſuas inſtillauerit fidei vitaeque regulas coeleſtis omnium docto-

(q) Sic Caue in antiquit. apoſt. introd. p. 111. §. III. p. m. 128. Auguſt. de ciuit. Dei lib. X. c. 4. (r) Poſt miracula, rapidiſſime praeceptiones nouae diffunduntur, earumque firmatur veritas, ſi autores absque ſuo commodo easdem tradunt. Et hoc praeter ea, & admirandam orationis Chriſti gratiam, & autoritatem, Luc. IV. 22. Marc. I. 22. in cauſſa fuiſſe videtur, quod tanto populorum, integritatem & humanitatem eius perſpicientium, applauſu locutus ſit. Marc. I. 37. VI. 31. Luc. IV. 15. 20. 22. V. 1. 15. VI. 17. 18. Concurrebant homines maiori impetu ad piſcatorum viles caſas, Marc. I. 33. II. 2. ſeqq. & alia loca vbi ſeruator erat, Luc. V. 1. quam ad auguſtiſſimas magnatum domos, eorumque aduentus.

ctorum doctor ? Nam factum est quod de eo praedixit Iesaias: IX. 1. coll. cum XLII. 6. 7. fore, vt inprimis degentibus in tenebris Galilaeis sit luci splendidae. Tot etiam, quibus eosdem salutis ordinem, regni sui conditionem, quidue in huiusce quaeratur ciuibus, plane & simpliciter docuit, praesertim montana illa, & plures marinae testes citari possunt conciones, & eximiae similitudines, quibus ad demulcendos auditorum animos seque suaque bona adumbrauit. Imperitis quoque discipulis Matth. XVI. 8. 9. semper ab ore eius pendentibus, ostendit patrem, Io. XIV. 8. eiusque voluntatem, mysteria insuper, & similitudines ipsius non ita obscuras, cunctaque scitu necessaria exposuit impensius. Matth. XIII. XIIX. 1. seqq. 21. seqq. Marc. IV. Luc. IIX. Et quomodo omnes Christi institutiones & doctrinae tam arctis paginis possent contineri, cum & ipsis pharisaeis aduersariis nunquam aeternae vitae verbis, Io. VI. 68. non suasit meliora ? Sic erat *palatum eius dulcedines*, Cant. V. 16. *& labia eius rosis aemula*, 13. Ps. XLV. 3. stillantia simul myrrham. Nam non solum melle dulcius praedicabat euangelium, sed & ante monebat : signa eius sequi volentibus gustandas esse myrrhas, Matth. IV. 17. XVI. 24. alte fodiendum, & fundamentum in petra iaciendum, Luc. VI. 48. IV. & quae sunt alia. Tantis dotibus etiam discipulos suos exornauit, ac ante ascensum eius, Galilaeam diuina virtute instructos obire iussit, Matth. X. 1. 6. seqq. qui coelestem quoque doctrinam, quam a fonte Christi inexhausto sicut conchae exceperant, sicut coagula & canales ex abietibus semper viridibus spirituque plenis Cant. I. 17. in eas regiones, & tandem in exsiccata gentilium quoque pectora effudere. Adeo studiose & ardenter propheta noster maximus erudiuit imperitos.

VIII. Qui vero per inextricabiles pene pharisaeorum tenebras vagabantur, & aduentus Messiae finem non prospiciebant, eos blande, & humane corrigebat. Veluti enim in magna strage, alius alium trahit in ruinam ; & in publico errore, alius alium trahit secum ad perniciem : ita omnes fere praeconceptas opiniones tenacissime fouebant. Eas ante euellere seruator allaborabat, vt veritatem posset inserere ; quia, autore Seneca, *nihil*

proderit dari praecepta, nisi prius amoueris obstantia praeceptis. Omnem verum DEI cultum homines sui aeui in externarum actionum quaerebant diligentia. Diabolus enim versutus & fallax salutis hominum hostis, stimulos conscientiae, quae veluti iudex hominum anxie, in quo adquiescat, quaerit, probe noscit; iniquam ergo animis propinat quietem, qua, sibi ipsi excogitata religione, consumi possit aetas. Pari modo, dum Christus hanc agebat vitam, plurimi errabant, & nesciebant scripturas, virtutemque DEI; Matth. XXII. 29. praecepta diuina parum interpretabantur curate, quin prauae voluntatis interpolarent notationibus, hostes odio prosequi licere tradebant, & quae sunt alia errorum genera plurima. Haec omnia diuinae aduersari legi seruator aperte demonstrauit, miseriamque naturalem detexit; Eph. V. 22. Matth. XII. 34. exinde eos non bene loqui posse, si manerent mali. Sic *maximum ei fuit certamen cum sui temporis Iudaeis, qui diuinitus traditam religionem fere in superficiariam verterant Matth. V. 20, seqq. VI. 1. 18. seqq.* (r) Si deinde ex gestis Christi aliquam offensionem sumebant, diserte eos correxit, & errores illorum posuit ob oculos. Indignum esse tanto viro peccatorum consortium arbitrabantur; seruator autem, vt hi periti diuinarum legum, irent & discerent scripturas, iussit. Impium ducebant Christum in DEVM, eumque peccata remittendi potestate neutiquam gaudere putabant; ipse vero Matth. IX. 5. ita eos conuincebat: vel ab eadem virtute diuina & remissionem peccatorum, & miraculorum proficisci potentiam, aut hanc illa esse minorem? si ergo viderent eum sanare sideratum; credant eum etiam posse peccata remittere. Maxime autem seruatorem labi existimabant, violatione sabbathi, ea agendo, & discipulis indulgendo, quae sabbathi prohiberet sanctitas, & institutio diuina; egregie tamen, se sanctum & tutum esse vel ab vnius instituti diuini violatione, promptissimis sanctissimisque suis responsionibus ostendit; discipulorum etiam innocentia facta Deut. XXIII. 25. exemplis & argumentis, sabbathi praeceptionis caussam, vt nempe homo alterna frueretur requie, & cum DEO ageret, non autem sibi ipsi vel

(r) PVFFENDORFIVS, in iure feciali diuino §. XI.

vel fame, vel alius necesſitatis detractione, vim inferret inexpiabilem docens, defendit. Increpabant diſcipulos Chriſti, quod illotis ederent manibus; ſed & hanc phariſaeorum praeconceptam ſeruator detexit opinionem (s) verumque DEI cultum in vitae integritate cordisque puritate conſiſtere demonſtrauit, & indefeſſo ſtudio, doctrinis & miraculis, quam humanisſime eblanditus eſt, vt e craſſae ſuperſtitionis & malitiae coeno emergerent. Marc. VII. Luc. V. 22. 30. VI. 1. ſeqq. 7. 8. ſeqq. 46. VII. 39. ſeqq. X. 25. &c. Errantem etiam populum auertit ab errore Matth. V. VI. iisque humani generis lapſum expoſuit. XV. 10. Io. VI. 26. Et cum eundem terreſtri diademate vellent ornare, minorem tamen Moyſe ducerent; 30. ſeqq. non videntes ſeruatorem propria virtute, Moyſen vero, Dei, tot ſaturaſſe hominum millia, regnum ſuum non terreſtre; ſeipſum vero vitae panem eſſe monſtrauit. Correctionem porro diſcipulis Ioannis adhibuit, qui cum phariſaeis diſcipulos eius aſperius tractabant, & vitae liberioris iter obiiciebant; Matth. IX. 14. ſeruator tamen optime pro ſuis ſtetit, aſſerens: non eos nuptiarum filios praeſente ſponſo triſtem decere frontem, nec adhuc pares eſſe durioribus corporis exercitationibus, & pannum adeo rudem veteri veſtimento aſſutum auferre eius partem. Haerebant praeterea dubia mente, num Chriſtus, ille qui venturus erat, ſit, nec ne? omnem vero ſeruator dubitationis materiam iisdem amputauit, veri Mesſiae notas exponendo, quas in ſeipſo deprehenderent; addita hortatione: ne in eo offenderent. Matth. XI. 2. ſeq. Tandem quoque diſcipulos fratresque (t) ſuos, magnis crebro erroribus captos, in iisdem diutius verſari non patiebatur. Hi quidem non ſatis

 cor-

(s) vid. §. h. c. IV. ſub lit. (b)

(t) Quod ſeruatoris noſtri terreſtris tutor Ioſeph ex felicisſima Chriſti matre nihil liberorum tulerit, non immerito noſtrates aſſerunt: innocens etiam eorum videtur ſententia: caſtisſimum Mariae vterum Ezech. XLIV. 2. 3. adumbrari; fratres Chriſti vero dici proxima cognatione eidem coniunctos. Sic, qui cognatus Abrahami erat Lothus, frater eiusdem vocatur Gen. XIII. 8. & Laban ſororis filium dicit fratrem. Gen. XXIX. 15.

cordate seruatorem videbantur complecti Io. VII. 3. seqq. & fortassis optabant, vt res eius a primoribus introspicerentur, & ipsi veritatem cognoscerent; hunc imprudentem mentis ardorem sedatiore animo emendauit, & aduersus seipsum mundi inimicitiam, cui ipsi adhuc non essent expositi, docuit. Illos vero, qui in societatem perfectissimae humilitatis speculi venerant, eidem tamen parum studebant, iussit in humilitate culmen quaerere, & correxit eos; Marc. IX. 33. coeterosque errores eripuit. Matth. XV. 16. seqq. XVI. 8. Sic verus propheta noster in Galilaea errantes correxit! Qui vero errores suos deponere nolebant, illos conuicit egregie, & confutando ἐφίμωσε; Matth. XII. 11. 14. Marc. III. 5. 6. Luc. VI. 4. 11. dumque humiliter veritatis discipuli esse negligebant, fiebant errorum magistri. Luc. VII. 31. 32. Ebr. V. 12.

IX. Hinc nouum veri prophetae fluit officium, vt contumaces etiam redarguat. Sed nec hanc eius partem seruator in Galilaea praetermisit; quin sine omni ad personas respectu supremos & infimos, non publicos solum peccatores, sed etiam hypocritas, Marc. VII. 6. Luc. XIII. 15. increpuit. Non solum populum, vrbesque, quas miraculorum varietate atque multitudine prae coeteris illustrauerat; Matth. XI. 20. seqq. non solum discipulos Marc. IX. 19. inprimis Petrum, Matth. XVI. 23. perpetuum reliquorum interpretem paratissimum; sed pharisaeos quoque in alto honoris speculo collocatos, sincero corde obiurgauit: inflammata iustitia eius ad ardorem, irate eos circum est intuitus; commota ad dolorem misericordia eius, animo ingemuit; Marc. III. 5. IIX. 12. & vae dixit viperinae proli, prauae, & adulterinae nationi. Matth. XII. 34. 39. Luc. XI. 29. 40. 42. Etiamsi enim pharisaei rerum diuinarum rudes, ignarique, adeo tamen petulantes, & insani erant, vt Christo nullam, nisi extremae impudentiae fidem haberent, & (quia de sede sua, saluo Christo, se moueri arbitrabantur, eique gloriam tantorum miraculorum, quae huc vsque non viderat ecclesia Israelitica, inuidebant,) sanctitatis suae specie, plebem, a vero non adeo alienam, studerent inducere, vt crederet eum non nisi per Beelzebub tanta edere miracula; quid? quod vitae eius pararent insidias, Matth. XII.

14. seqq. Veritas autem Christi eorum ora ita obstruebat, vt quod referrent, ipsis non superesset, quam signi petitio; exquisite tamen eos explosit. Cum tandem ab istis mercedem maximi amoris sui frustra exspectauerat, obsequium; iustitia meritas exigebat poenas, licet ipsius amor, vt hominum more loquar, vae dicendo, maximum ipse vae sentiebat. Nihil ergo intermisit officii prophetici seruator mansuetus in Galilaea, vt omnes scirent, quae sibi forent saluti; docuit & monuit, duxit, blande vocauit, grauiter quidem, sed sine aemulatione & vindicta reprehendit. (*u*)

(*u*) Quemadmodum hisce seruator omnibus fidis gregis sui pastoribus exemplum reliquit, quomodo τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς debeant administrare: ita inprimis gerendi redargutionis, quod vocant, officii, excellentissimum posuit speculum. Vt videlicet pro magna sua, & auditoribus cognita, in officium, cui praesunt diligentia, hosce instituant moneantue, pro autoritate ecclesiastica hortentur, pro magnitudine periculi animarum suarum obtestentur, & redarguant contumaces, veritatemque libere pronuncient. Neutiquam vero Christus imprudentum pastorum caussam agit, qui in reprehendendis aliorum, quos timent, propriaeque domus enormibus vitiis, (ne sc. propriam, quod dicitur, allegent turpitudinem,) molles, & muti canes sunt, latrare nescientes; Ies. LVI. 10. Ez. XIII. 5. & τὴν ἀνομίαν ἐργαζόμενοι Matth. VII. 23. Christum peruerse praedicant: Eph. IV. 20. 21. illorum contra festucam, qui ipsos, pro decenti suo in rempublicam studio, de eximenda propria trabe, & corrigendo domus suae prauo exemplo, perniciem trahente insanabilem, inque populum seculumque veniente caste ac integre monent, e sacris rostris, priuata ducti vindicta, nimis exaggerant; & vt maiorem peccasse visis ciuium conflent inuidiam, suo nomine, caussa nondum cognita, appellant, cient, agitant. Peruersa Christi militia! Non pro te Paulus vocem, quam saepe vrges, & ardentem animarum seruandarum curam praetendis, misit. 2. Tim. IV. 2. (*Stultitia autem est alienae animae parcere cum pernicie suae.*) His verbis, verbum diuinum praedicandi studium, non mun-

X. Apud quos tandem verba & institutiones eius non ceciderunt in irritum, quos cohortationes eius excitarunt, quos denique reprehensiones stimulabant, illorum moestitiae grandia tribuebat solatia, tempestiue contrectabat vulnera, & infirmis seruiebat, vt fidi est pastoris. Ies. LXI. Hes. XXXIV. 16. seq. Hac ratione & vltimum prophetici muneris, quoad doctrinam, partem in Galilaea expleuit. Afflictorum conditionem praedicabat beatam, Matth. V. 3. 4. seqq. omnesque ad se vocauit onustos, XI. 28. Ingenue etiam se venisse vocatum son-

danae sapientiae excrementa, & intempestiuos impetus commendat. Audi infinitae sapientiae doctorem. Luc. XII. 42. Matth. XXIV. 45. Non te ἡ ἀγάπη τȣ̃ Χριςȣ̃ συνέχει 2. Cor. V. 14. Non sincere, non modeste, non grauiter, quae facis, fiunt. Non refert societatis, cui praees; non tibi cum seductoribus aut haereticis res est. Non in te illud Ambrosii ad Iren. lib. I. ep. 6. quadrat, quod studiose quidem, & ineptis sacerdotalis supercilii motibus, affectas; cum grano tamen salis, non tuo gustu, h. e. profano & tumido, quo parum abest, quin e suggestu tuo libidinosas saltationes, & quid non? praeciperes, Ier. XXIII. 13. 14. aestimandum: *Pythagoricum, inquit, mandatum, in aliquorum scriptis praedicari inuenimus, quod ille discipulos suos communem, atque vsitatam populo, prohibueric ingredi viam. Et in sacerdotibus plebeium nihil requiri decet, nihil populare, nihil commune cum studio, atque vsu, & moribus inconditae multitudinis, sobriam a turbis grauitatem, seriam vitam, singulare pondus, dignitas sibi vendicat sacerdotalis. Quomodo enim obseruari potest a populo, qui nihil secretum habet a populo; nil dispar a multitudine? Quid enim in* TE *miretur si sua in* TE *recognoscat, si nihil in* TE *adspiciat, quod vltra se inueniat, si quae in se erubescit in* TE *quem reuerendum arbitratur, inueniat?* Iudica haec ad exemplum exemplorum Christi, eiusque summam in plebem humanitatem & misericordiam, & poterunt vindicari; ad turgidam tuam & profanam voluntatem, auspiciisque tuis in plebem potentiam immerito anticipatam, & erunt falsa.

ſontes ad bonam frugem fatebatur; IX. 13. erigebat proſtratos animos, Luc. IIX. 48. 50. quique fauoris ſui documentis ſe indignos putabant, iisdem maxime dignabatur; Luc. V. 8. 10. 13. 15. Matth. IIX. 8. ſeq. IX. 21. 22. XV. 28. infirmam fidem firmabat, Matth. IIX. 26. Luc. V. 9. ſeq. IIX. 50. peccata denique remittebat. Luc. VII. 48. Matth. IX. 2. Et hic verum eſt, quod de Alexandro Seuero dicitur (*x*): *omnibus blandum affabilemque ſe praebuit*, &, quod addere liceat, neminem a facie ſua triſtem abire paſſus eſt. Adoleſcens vero ille diues, qui trans Iordanem, in itinere Chriſti ad Ieroſolymas, ad eum venit, Matth. XIX. 16. conf. v. 1. cui etiam paupertas Chriſti adeo aduerſa erat, ſeipſum contriſtabat, ſibique ipſi hilaritatem, qua Chriſtus eum potuiſſet perfundere, inuidebat.

XI. Ne autem videretur ſeruator noſter nouitatis & ambitionis ſtudio a traditionibus iudaicis prorſus aliena docere; doctrinae eius fidem fecit diuinitas, non minus ac copia miraculorum. Egregium enim ac tutiſſimum ad nouam doctrinam diſſeminandam ſunt praeſidium (*y*); quia ſolus DEVS naturae leges poteſt diſſoluere, vt recte ſentiebat Nicodemus: Io. III. 2. Chriſtum eſſe doctorem a DEO miſſum, quia tanta facere miracula, quae ipſe, nemo poſſit, niſi DEVS ſit cum eo. Quod, ſi & ipſi naturali hominum rationi eſt congruum; Act. XIV. 11. iure merito ex miraculis eccleſiae noſtrae doctores exiſtentiam non minus DEI, & veritatem religionis chriſtianae; ſed ſpeciatim ex Chriſti miraculis eiusdem diuinitatem probant et defendunt, contra quosuis eorum obtrectatores, cauillatoresque Iudaeos pariter ac atheos; (*z*) quoniam ad manifeſtandam ipſius gloriam facta ſunt;

(*x*) Aelius Lamprid. in vita eius c. XX.

(*y*) Ebr. II. 4. Marc. I. 27. XVI. 20. inprimis conf. D. praeſidis theſes theol. de *atheiſmo & ſuperſtitione* p. 288. 607. ſeqq. & in doctiſſimi viri SAMVELIS WERENFELSII opuſculis variis diſſertat. *Num miracula certa ſint veritatis ſigna.*

(*z*) Tam excordes, tamque dementes fuiſſe Iudaeorum primores & phariſaeos, vt daemonis ope, ſeruatorem noſtrum tanta miracula facere, plus ſimplici vice nulli dubitarint aſſerere, notius eſt, quam vt iam dicam. Ea videlicet eos tenebat opinio, vi nominis tetragram-

sunt; Io. II. I. II. & quae apostoli fecerunt miracula, ad eiusdem gloriam, inque nomine eius, fecerunt. Act. III. c. IV. 2. 6. IX. 34.

---

mati miracula posse fieri. Hoc etiam baculo suo inciso, siue inscripto, Moysen tanta quae egerit, egisse, obseruantibus eruditis Iudaei dicunt. Id quod & de Bileamo sentire quosdam asserit Herbelot. bibl. or. p. 180. Hoc mysterium seruatorem indagasse, eiusque ope tanta facere putabant pharisaei. Quia vero prae caeteris Palaestinae partibus, Galilaea, Christi dicta patria, praestigiarum & incantamentorum postulabatur. Praestigiatoribus enim & praecantatricibus fere omnibus e regione I. Sam. XIIX. 9. excisis; occultam habebat veneficam Endor Galilaeae: v. 7. Mentionem insuper facit Relandus noster vrbis Schichin lib. III. Palaest. p. m. 732. ex Gem. Hieros. Taanith, & Echa Rabbati fol. 75. 3. propter artes magicas vastatae; eamque haud contemnendo signo ad Galilaeam pertinuisse credit. Non ergo nisi magicis artibus Christum τὴν γραφὴν ἐν τῷ ἱερῷ ἀνακειμένην inuenisse, & miracula fecisse, mentiuntur apellae. Rite autem notata est haec extremae impudentiae pestisque nefandae fabula, a viris earum rerum peritis. Ex instituto post WAGENSEILIVM in confutatione libri *Toldos Ieschu* nuper hoc egit Theodorus Hasaeus in diss. historico-philologico-theologica de אבן שתיה c. III. §. 15. seqq. O si vellent credere seruatorem nostrum verum Messiam, ipsum esse IEHOVAM, nostram iustitiam, & lapidem fundamenti saltem fuisse typum petrae nostrae, mox essent mutaturi sententiam, & dolentius deploraturi suam coecitatem; sed hoc adhuc eorum latet oculos! Cautiores videri volunt e recutitae gentis grege ii, qui quidem huic fabellae pollicem non premunt; sed Iesum schem hamphorasch ne quidem nouisse, & omnia per artes magicas, a praeceptore suo R. Iehoschah ben Perochia membro synedrii magni acceptas, egisse, volunt; vid. MVNSTERVS ad cap. II. Matthaei. Varia enim Iudaei habebant exorcismi genera, vanosque radicum vsus, qui, quod a Salomonis sapientia I. Reg. IV. 33. sint deriuandi, fide est certo lubrica. Ioseph. antiquit. l. IIX. c. 2. Sed non minus mente capti hi sunt, quam illi, narrasse etiam est re-

IX. 34. XVI. 18. Verum prae caeteris terrae sanctae regionibus Galilaeam non immerito miraculorum Christi theatrum dixe-
H ris

futasse. Ipsa enim seruatoris veritas magis pro prompta sua defensione Marc. III. 22. seqq. Matth. XII. 22. seqq. effecit potuitque, quam nos longis disputationibus pugnare. Num vero diabolus absque praestigiis, quae tantum ad circumscribendos oculos valent, & in conspectu maximae multitudinis, pedes claudorum ad officium gradiendi vno verbo reformare, multis facultatem verba faciendi, coecis visum, surdis auditum, mortuis atque sepultis vitam dare, & ea quae fecit Christus, possit, iudicent qui modo mentis vsu non sunt destituti. Nullum sane mirabile facinus edet, sine suo quaestu, & quod non vltimam trahat perniciem in seculorum venientem secula. Omnia vero Christi miracula ad salutem corporum & animarum hominum erant comparata. Quod vero daemonibus ingrediendi porcos dedit veniam, diuinae potentiae eius, & Gergesenorum malitiae, quorsum daemonum tendebat obtestatio, vt Iesus in eorum veniret odium, indignitatisque, quam propter seruator preces daemonum non renuebat, exquisitum erat prodigium & nota. Ideoque insidorum Io. IV. 48. 1. Cor. XIV. 22. miraculorum eius obtrectatorum impudenti de coelesti signo postulato, non obtemperabat, quia & tale portentum incredulitatem eorum non fracturum, ac nihil inde in mortales miseros emolumenti redundaturum prouiderat. Si modo sermonem Christi de ceti stomacho, Ionae contumaciae vindice, aequo & humili expendissent animo; certe tot tantaque e coelo signa visuri non fuissent. *At sol spectatorem non habet nisi cum deficit, nemo obseruat lunam nisi laborantem.* Et ita iuste eueniebat iis, qui ad vanorum philosophorum, exitiosam sibi philosophandi libertatem arrogantium, instar, omnia mathematicis demonstrationibus expendere, & cum illo Marc. IX. 22. proterue volebant cauillari: ἀλλ' εἴ τι δύνασαι, ede nobis aliquid signum e coelo. Ad atheos quod spectat, velit B. L. adire D. praesidis *theses de atheismo & superstitione*, quae desiderium eius poterunt explere. Omnes vero qui Christo nomen dederunt, ex miraculis verum

ris (a). Quippe non solum plurima ibi edidit, sed eandem quoque

Messiam, seu Christum, eiusque diuinitatem probe cognoscunt. Hoc pene assequuti sunt infideles, variisque opinionibus corrupti, hucque praecipue notissimum Fl. Iosephi de Christo facit testimonium ant. lib. XIIX. 4. VIII. 4. conf. D. praesidis laudati theses, c. VII. in not. ad § V. p. 630. seq. Quilibet etiam cui res christiana apud plurimos prolapsa fluens, ideoque seueris vincienda legibus, cordi est; in votis habet: ne modo homines cum Iudaeis Io. IIX. 54. dicant Christum suum esse DEVM: sed & vere diuinas Christi virtutes in anima se exerere patiantur, & diuinam eius potentiam, sapientiam, & benignitatem cognoscant. Plurimorum enim propria contumacia & perfidia, tantis in se miraculis Christi obstat; quod ipse viduae Sareptanae exemplo aliisque ostendit Luc. IV. 26. 27.

(a) Multa Christus in Galilaea edidit miracula, quae suis circumstantiis non sunt exposita in noui instrumenti voluminibus; Matth. IIX. 16. XV. 29. 30. Marc. I. 32. 34. 39. Luc. IV. 23. 40. 41. V. 15. 17. 19. VI. 18. Ea autem quae prolixe explicantur si singulatim ponderemus, plura, si coecorum curationem exceperis, in Galilaea contigisse, erit in propatulo. Duodecim quidem seruiator leprosos curasse ex eius gestarum rerum monumentis apparet, duos in Galilaea, Marc. I. 40. 45. Luc. V. 12. Matth. IIX. 1. 4. decem in itinere ad Ierosolymas vltimo simul. Si vero hoc ipsum, pro vno tantum, sicuti videtur, licet excellentiori miraculo, quippe vno tempore, vnoque fiebat verbo, vnicus etiam pro redintegrata valetudine gratias egit, accipias, non ibis inficias, plurima in Galilaea edidisse signa & miracula mundi sospitatorem. De mortuorum resuscitatione, vt pauca adiiciam, non conuenit; tres ad vitam mortuos esse vocatos fere omnes consentiunt; placet tamen non nemini, quatuor fuisse, quibus Christus vitam denuo concesserit: probarent hoc omnes circumstantiae; *temporis*, cum fere totius anni spatium intercesserit; *loci*, qua Matthaei historia in Capernaum, altera extra eam facta dicatur; *contextus* qua prima vxor cuiusdam principis alia filia fuerit.

que miraculorum primitiis ornauit. Io. II. 11. Summam miraculorum seruator ipse docet discipulos Ioannis: Matth. XI. 4. 5. 6. & XV. 30. Haec more sueto, h. e. apte, distincte, & ornate exprimit Lactantius: *Virtutes eius* (Christi) *fuerunt, quas Apollo portentificas appellauit: quod quacunque iter faciebat, aegros ac debiles, & omni morborum genere laborantes, vno verbo, vnoque momento reddebat incolumes, adeo vt membris omnibus capti, receptis repente viribus roborati, ipsi lectulos suos reportarent, in quibus fuerant paullo ante delati. Claudis vero ac pedum vitio adflictis, non modo gradiendi, sed etiam currendi dabat facultatem. Tunc quorum coeca lumina in altissimis tenebris erant, eorum oculos in pristinum restituebat adspectum. Mutorum quoque linguas in eloquium, sermonemque soluebat. Item surdorum patefactis auribus insinuabat auditum: pollutos, & adspersos maculis, repurgabat. Et haec omnia non manibus, aut aliqua medela, sed verbo ac iussione faciebat.* Et mox: *Nec vtique mirum, quod verbo faceret mirabilia; cum ipse esset Dei verbum, caelesti virtute, ac potestate subnixum. Nec satis fuit, quod vires imbecillis redderet, quod debilibus integritatem,*

 quod

Hoc pacto tres mortui in Galilaea vita essent donati, vnicus Lazarus in Bethania. Sed iudicent de hoc alii; singularia iam esse noto, quae de mortuis quibus Christus animam reddidit, ANTONIVS BYNAEVS habet: lib. I. *de morte Iesu Christi* c. III. p. 184. mirabile inprimis esse, & animaduersione dignissimum, quod Iesus tres vitae restituerit; cum ante aduentum eius non nisi tres fuerint resuscitati; 1. Reg. XVII. 17. seqq. 2. Reg. IV. 20. seqq. XIII. 21. & tres post resurrectionem Christi; (pro vno enim habendi omnes sancti, qui vno tempore exierint ex sepulcris, quorum neque numerus signatus,) reliqui duo Act. IX. 40. XX. 9. Tres itaque ante Christum, tres a Christo, tres item post Christum vitam recepissent. Omnes enim celsae virtutes, abundantius in vno maximo propheta nostro conuenerunt. Caeterum aliorum seruatoris in Galilaea miraculorum non potest iniri numerus; cum non omnia, quae ipse fecit, litterarum monumentis sint tradita: hoc tamen certum est, plurima in Galilaea esse patrata.

quod aegris & languentibus sanitatem, nisi etiam mortuos suscitaret, velut e somno solutos, ad vitamque reuocaret (b).

XII. Quemadmodum vero generis humani sospitator, diuinam suam virtutem, sapientiam, & benignitatem, in reponendis parum firmamenti & vsus habentibus aegrorum corporum membris ostendit: ita non minus easdem virtutes in restituendis debilitatis animarum viribus, coecis visum, surdis auditum, mutis linguae vsum largiendo manifestauit. Venerat enim quaesitum perditos. Cum itaque rebus, verbisque potens esset propheta; multos fuisse credes, in tanta & frequenti hominum multitudine eum accedente, quorum pectora splendor, & gloria eius penitus ferierit, & vocauerit, 2. Petr. I. 3. Multi interne coeci, infinitae Christi gloriae viderunt lucem; multi semitas praeceptorum eius ingressi sunt claudi; multi sanctissimo Christi sanguine, quem profusurus erat, purificati; multi concitatam Christi vocem audiuerunt surdi; multi ad vitam, quae ex Deo est, redierunt mortui; multis pauperibus, euangelium & redemtio per sanguinem Iesu, maximo spiritus S. pondere, nunciata est. Hoc suo inprimis probant exemplo regius ille, Io. IV. 47. seqq. centurio Capernaiticus, egregia qua praeditus erat fide, & vir ille cuius filius surdum habebat spiritum; Marc. IX. 24. seqq. multique alii quorum fides eos seruauerat. Et hic finis omnium miraculorum Christi erat, vt crederent homines, eum a Deo missum esse. Qua de re segnes saepe excitabat animos hisce verbis: *Qui aures habet ad audiendum audiat.* Et discipulos, quamuis interdum tenaci imbecillitate laborarent, Marc. IIX. 17. 18. seqq. beatos pronunciat: *quod viderent, & audirent.* Matth. XIII. 16. Hi enim non solum ipsi maiestatem eius erant contemplati; Io. I. 14. 2. Petr. I. 16. sed & regni eius institutionem & futuram formam, penitius introspiciebant. Nec procul erant ab aditu coelestis regni ciues Nain, qui visitationem Dei cognoscebant, decentique efferebant timore, Luc. VII. 16. & alii qui in Galilaea confluxerant; Matth. XV. 30. 31. Luc. IV. 42. Pharisaeorum coeterorumque oculis, quos ipsi comprimebant, subtracta sunt ea Christi miracula, nec au-

(b) lib. IV. *de vera sapientia* cap. XV.

auribus deprehenderunt: propterea per similitudines ad eos loquebatur seruator, inque illis comprobatum est illud Iesaiae oraculum VI. 9. 10. 1. Cor. III. 3. 4. Non deerat, qui spargeret semen suum in corda eorum, deerant autem, qui praeparati & vt decebat, id ipsum reciperent. Non minus ergo vim suam diuinam declarauit corda hominum flectendo, vt eam cognoscerent in opere conuersionis, sapientiam & benignitatem in ordine salutis mirarentur; quam externis miraculis. *Nam & oculus videns & auris audiens vtrumque est a Deo.* Prou. XX. 12.

XIII. Quamuis itaque Iesus Christus propheta maximus, potens gestis & doctrina, per totam Galilaeam valide dixerat de regno Dei: eamque doctrinam praepotentibus obsignauerat miraculis & signis; nihilominus tamen, vt omnem amputaret Iudaeis excusationem, vitae seueritate & integritate, quam nulla mens potest comprehendere, & ad quam ipse iure prouocabat: Io. IIX. 46. quod in Galilaea docuit, praesenti virtute firmauit. Non temere enim *fit efficax praedicantis auctoritas, nisi eam effectu operis cordi affixerit audientis.* Praefracti quidem & horridi Christi aduersarii, diris maledictis & criminationibus eum insectari non desistebant; sic tamen, quod Plato olim dixit, viuebat, eorumque probra factis confundebat: *vt illis fides haberi non posset;* quin potius ipsi quantum Christo discriminis videbantur mouere, tantum laudis parauerunt. Quam vero summae doctrinae & sapientiae Christi summa virtus, & perfecta iustitia consenserit: si Christi, qua sponsoris, officia erga Deum, seipsum, & alios in Galilaea praestita, debita obseruantia nominatim exposuerimus, patebit dilucidius.

XIV. Primum & princeps erga Deum officium *amor* est. Facillimum esset, hanc officii Christi erga patrem partem exsequi copiosius. Tam vere enim, tam caste, tamque perfecte eundem amabat, vt & noctes contemplationibus summae perfectionis & gloriae eiusdem duceret, seque delectaret; omnia praeterea, quae & in Galilaea fecit, immenso erga patrem amore, & absque vllo remunerationis respectu fecit; sed quia hoc omni prorsus dubio caret, caeterisque sic cohaeret, vt nihil differi iam posse videatur, vt non simul de maximo Christi amore disseratur; in

praesenti hanc omittam quaestionem. Testatur de eo insuper Christi erga patrem *reuerentia*, Ebr. V. 5. 7. qua eum respectu paternitatis ita honorabat, vt toto animo incumberet in honorem eius promouendum, & plurimis ab eo sanatis interdiceret, ne, quae istis accidissent diffunderent; omnesque sermones eius eo tenderent, Luc. VII. 29. Marc. I. 22. & miracula Matth. XV. 31. Luc. VII. 16. 17. IX. 43. XIII. 13. &c. quae semper spectabant Dei patris, Christi vero, qua Dei, gloriam. Io. XI. 4. Seruator enim cum Iudaeis loquens omnem gloriam & potestatem soli patri tribuit, Io. VI. 27. vt primum inducerentur, eumque a Deo missum esse crederent; eam autem doctrinam, de eius diuinitate, quae fundamentum est fidei nostrae, non nisi prouectioribus tradidit. Ex hoc fonte etiam deriuanda est exactissima Christi erga patrem *obedientia*, & fidelitas in exequenda eius voluntate. Io. VI. 39. 40. Hanc quam impense & strenue sit persequutus, nemo est quem fugiat. Omnibus enim consilium Dei de seruando genere humano explicauit, & inauditis signis se eum in finem missum probauit. Nec perdita fuit eius opera, quia multi maiestatem eius videntes, magnam Dei sapientiam in salutis ordine cognouerunt. Et hoc maxima animi delectatione praestitit, vt recte diceret: *mihi pastus est, eius voluntatem exequi qui me misit*, Io. IV. 34. Luc. IV. 43. Psl. XL. 7. 8. 9. vereque in sacerdotali illa oratione sanctissima, ante passionem, perfectissimae obedientiae eius testem, Phil. II. 8. habita, praedicaret: Io. XVII. 3. 4. *ego te in terris illustraui, opus absolui quod tu mihi faciendum mandaueras.* Summa etiam obedientia eius erga parentes huius seculi erat. Nihil enim de infantia & iuuentute eius in Galilaea gesta memoriae prodiderunt sacri fasti, quam quod eandem, non spectata parentum humilitate & indigentia, ad arbitrium aeterni patris, simpliciter egerit & subiecte. Luc. II. 15. Coelestem patrem insuper honorabat atque amabat singulari *fiducia*, non enim solum de producenda vita sua non sollicitus; sed contentus erat iisdem, quae ei a facultatibus suis ministrabant alii; Luc. IIX. 3. nec vnquam ad sui discipulorumque conseruationem edidit miracula; nec patris diffidens amoris erat inter tot pharisaeorum latratus, & insidias; sed libenter suscipiebat, & patienti ferebat animo, atque libere veritatem pronunciabat. Vtebatur

de-

denique fiducia quam pater dederat, Matth. III. 17. etiam in administratione muneris sui. Marc. VII. 34. 35. coll. cum Io. XI. 41. 42. Merito hinc fidebat Deo, quia specialiori ratione pater eius erat, ipse vero nihil petebat, aut faciebat, quod gloriae, maiestati, ac ordini diuino esset aduersum. Matth. IV. 5. 6. 7. Sic certo fiducia ἀνέχει μεγάλα, καὶ πάσχει μεγάλα (c). Verum omnia memorata officia Deo quasi simul praestitit seruator perfectissimus, crebris seriisque precationibus atque gratiarum actionibus. Orauit quidem cum publice ad munus suum initiaretur, vt se panderet coelum, Luc. III. 21. orauit etiam ante, & in passione sua; Io. XVII. Matth. XXVI. 39. Luc. XXIII. 34. sed iam de orationibus in Galilaea fusis cura est. De iis Marcus I. 35. dicit: multa adhuc nocte seruatorem strato surrexisse, & priusquam manifestus dies noctis creperum absoluisset, exiisse in desertum, ibique orasse. Hoc sicut egregium est exemplum, ad quod preces nostras debeamus conformare, ita nemo ibit inficias hoc Christum fecisse quotidie; praesertim quia totas noctes precibus & diuinis meditationibus consumsit. Luc. VI. 12. Matth. XIV. 23. Quia etiam Christus Io. XI. 41. 42. *scio*, inquit, *quod me semper audis*: colligi inde licet: eum ante omnia miracula ardenti mentis desiderio orasse. Marc. VII. 35. Sic vel ante transfigurationem in monte Thabor orauit, & precante eo, facta est vultus eius species alia, & vestitus niue candidior, fulgurans. Luc. IX. 28. 29. Marc. IX. 2. Non solum vero ipse toties in Galilaea indulsit precibus; omnis enim vita eius, vt ita dicam, ob arctissimam cum patre vnionem perennes & perpetuae erant preces; sed sectatores etiam suos optimam orandi methodum, & precum exemplar in eadem docuit. Matth. VI. 6. seqq. Hoc pacto quod supra memorata officia, vti dixi, simul sit assequutus, vel inde patet: quia sine υἱοθεσίας πνεύματι non fiunt gratae Deo preces, nec sine reuerentia, quia is cum quo agitur, est supra omnia Io. XIV. 13. Gen. XIIX. 27. 30. seqq. non sine obedientia, nostra quippe voluntas voluntati Dei est insinuanda; non denique sine spe & fiducia, alias euanescunt preces, Iac. I. 6. nec irrum-

(c) Chrysost. hom. XX. in ep. ad Ebr.

irrumpunt coelos. Quis vero haec omnia in Christo abundasse audebit negare? Idem etiam de *gratiarum actione* sentiendum est; si vigiles precibus noctes duxit, omnino, quod sciam, dubio caret, eum Deo patri pro miraculis egisse gratias: & qualis desiderio & labori suo succedat effectus, renunciasse: Luc. XIV. 21. Essaeorum haeresin agri & solitudinis velle delectari quiete; sectam pharisaeorum, in imponendo, immani plebis gregi ceremoniarum iugo distendi; Sadducaeos vero carnis duci voluptatibus; pauperes & mutilos non ita multos esse; superesse itaque locum, & quae sunt alia. Illustre etiam hac de re in Galilaea edidit exemplar. Matth. XI. 25. seqq. Curatissimas certe pro beneficiis spiritualibus pullis suis exhibitis grates agit, & digne effert sapientiam & iustitiam Dei, nulla re magis, quam in excludendis profana sapientibus a diuinis mysteriis sese exerentem.

XV. Distinctius porro amor Christi erga patrem aestimari potest ex sui *abnegatione* liberrima & firmissima, qua, nullis quidem obnoxius prauis cupiditatibus; se suamque vitam, diuinae etiam maiestatis perennem vsum sponte abnegauit. Inter alia vero praecipue dignum est, quod memoretur, exemplum in Galilaea positum. Matth. XII. 46. - 50. Marc. III. 32. Luc. IIX. 19. Quod enim Luc. XIV. 26. praeceperat, huic ipsius consensit exemplum: *quae est*, inquit, *mater mea, meique fratres*; qui videlicet variis studium meum impedimentis audent frenare, quanquam eos pietate & religione mihi coniunctos haud parui alias faciam? At amicos non modo, hoc si in gloriam Dei sacerrimus suasit impetus; sed & honorem, Matth. XII. 19. corporis commodum, Marc. III. 20. 21. conf. Io. IV. 30. & alias quibus frui potuisset opportunitates abnegauit, commoditatemque molestia, Matth. XIV. 23. seqq. multisque peregrinationibus mutauit. Prodit ergo eius simul *humilitas*. Vitam enim adolescentem sicuti sedate & modeste duxerat, ita quidem cum munus ad quod publice quasi erat consecrandus, obiit, & latere amplius non potuit; summa tamen animi modestia id ipsum administrauit, & sanatis ab eo non solum comminatus est, vt videant ne quis facta resciscat; Matth. IX. 30. sed & daemones obiurgauit, ne eum facerent manifestum. Marc. III. 12. Ante tempus enim publicam curam non affectabat,

bat, ne homines virtutem eius & miracula magis, quam humilitatem, doctrinae sanctitatem, & personam eius sibi proponerent, eumque mundano diademate ornarent, & publicam conflarent seditionem (*d*). In amicitiam eius non Pilatus, non Iudaeorum primores; sed publicani & contemti veniebant homines, quibus plurimus ex eius conspectu, congressu, conuiorumque honore prouenìebat fructus. Quantum tamen fieri potuit sine omni strepitu ad ciuitates, oppida & pagos Luc. IIX. 1. venit, Matth. XII. 18. 19. 20. & cuncta miracula tanta modestia & frugalitate edidit, vt, ad non neminis sententiam, ne talem quidem videretur mouere stridorem, qualem excitares quassatam iam arundinem contundendo, vel defectum humoribus, & iam exspirans linum in aquam immittendo. Maximum enim hoc erat mysterium, & regnum satanae destruendi institutum, vt labefactatum & demotum superbia primorum parentum ordinem, & sanctam quasi harmoniam DEVM inter & hominem, humilitate sua apte reponeret, atque compelleret, hominesque suo exemplo doceret rationem, qua debeant seruari. Matth. XI. 29. Tanta Christi humilitas non poterat maximam quoque non gignere *patientiam & mansuetudinem*; queis non infirmitatem populi solum, Marc. VII. 36. Io. VI. 26. & apostolorum, Matth. XVI. 7. Marc. IX. 32. 33. seqq. suorumque necessariorum Io. VII. 3. 4. 5. seqq. egregia facilitate ferebat; sed

(*d*) Nam ea coeteroquin mundi est indoles, vt facile tale quid, quod ad damnationem veritatis studiosorum obtendat, inueniat. Sic Herodi aduersus, cruenti istius, omnium veritatis propugnatorum speculi IOANNIS, occisionis culpam, de seditionis periculo purgatio fuit. Refert enim Iosephus lib. XIIX. c. 7. antiquit: *metuisse Herodem ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pararet.* Et quidem *timore pauidus erat, & ad omnes suspiciones excitabatur, multosque innocentes, metu, ne quem nocentium praetermitteret, in tormenta dabat:* lib. IX. d. B. I. c. 19. longe tamen aliam caussam scriptores sacri, & Gorionides ebraeus docent. Hoc ne & seruatori accideret, ipse comminationibus suis omnem rebellionis suspicionem a se abegit.

incredibilem quoque aduersariorum importunitatem, & audaciam sedate sustinebat, eiusdemque contumeliae qua Ierosolymis affectus est, Io. IIX. 48. & in Galilaea Marc. III. 22. seq. Matth. XII. 24. XI. 19. assumebat patientiam, miraque modestia ab iis criminationibus sese purgabat. Maximum vero patientiae monumentum, patiens ille Dei agnus, Io. I, 21. in ara crucis, omnis mundi peccata sustinens, reliquit.

XVI. Ad officia erga seipsum quod attinet, exquisitissimum rursus omnium virtutum speculum repraesentat. Non autem est, vt de temperantia & castitate Christi multa dicam. Quippe patriae voluntatis executio eius erat alimentum, Io. IV. 34. & tanta saepe multitudo ad eum venit, vt ne quidem cibum capiendi locus illi erat aut facultas, Marc. III. 20. non tam de vitae alimentis, quam animarum salute sollicitus: τί διαλογίζεσθαι ἐν ἑαυτοῖς, ὀλιγόπιστοι, ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβετε; Matth. XVI. 8. Minime vero quae sunt vitae necessaria sibi denegauit. Sicuti enim nunquam humanum, quod assumserat, corpus, aduersus diuinum ordinem in discrimen obiecit; ideoque cum in Galilaea quoque petebatur caput eius, (licet diem duodecim horas habere, sibique fatalem nondum venisse nouerat, & vt sciret vulpes ille Herodes, curabat: Luc. XIII. 32. caussam nullam esse, cur eum bonorum operum ergo morte posset afficere; nec licere vllum vatem perire extra Ierosolymas;) ad mare, Matth. XII. 14. 15. Marc. III. 6. 7. e Iudaea in Galilaeam Matth. IV. 12. Io. IV. 3. VII. 1. se recepit, & aduersariis subduxit: Luc. IV. 30. conf. Io. VII. 10. VIII. 59. XI. 28. ita defatigatum corpus necessario cibo & quiete refecit; Marc. IV, 38. Luc. VII. 36. Matth. IX. 10. regnum Dei tamen, quod non est cibus aut potio Rom. XIV. 17. praeposuit. Etiamsi pharisaei quos ad indignantium infantum instar, non iucunditas, non grauitas placabat; non blande hilaris Christi, non serio tristis Ioannis vultus mouebat; quin potius ad arguendam diuinam sapientiam prompti seruatorem φάγον καὶ οἰνοπότην dicebant; Matth. XI. 16. 19. nondum tamen vere didicerant, quid sit: *pietatem malo, quam sacrificium*; Matth. IX. 13. nec abundantissimum Christi in miseros & prostratos peccatores

res amorem nouerant. Maxima itaque sapientia, sicut omnia: *beatus qui in me non offenderit*, Luc. VII. 23. ad Ioannis discipulos, qui etiam aliquando discipulos Christi, & cum his ipsum seruatorem ventris gutturisque vitio incesserant, Matth. IX. 14. dixit. Nec quenpiam credo fore qui *castitatem* Christi in dubium vocauerit, erat enim ἅγιον illud a spiritu S. conceptum. *Castitas* praeterea, Augustino interprete, est *munda & honesta corporis habitudo per edomitas vitiorum furias*; Christus autem, quae domaret, vitia omnino non habebat. Et quomodo de temperantia, Luc. XXI. 34. 35. & castitate, Matth. V. 8. potuisset praecipere, hancque beatam pronunciare; nisi ipse eam ante sensisset beatitatem? Praeclare de hoc, vt plura, sensit Lactantius (*f*): *Homines, malunt exempla, quam verba; quia loqui facile est, praestare difficile. Vtinam quidem tam multi bene facerent, quam multi loquuntur bene. Sed qui praecipiunt, nec faciunt; abest ab iis fides: & si homines fuerint, contemnentur, vt leues; si DEVS, opponetur ei excusatio fragilitatis humanae.* Quamuis etiam omnis erat expers peccati; nemo tamen summam *diligentiam* & *vigilantiam* satis magnifice mirari poterit & efferre. Quae enim Matthaeus c. V. VI. VII. VIII. 1. - 14. narrat, vna die a seruatore amantissimo sunt expedita; & Lucas eum praecedentem noctem precibus consumsisse perhibet. Plura monent alii (*g*): quae qui legitime expendet, non poterit optime non delectari, & cognoscere, quo studio & acerrimo animi impetu seruator optimus vitae dies transegerit. Nec denique de spontanea Christi paupertate multa sunt monenda; quia neminem, nisi omnino in sacris litteris hospitem, latere potest: seruatori ne propriam quidem fuisse casam; Matth. IIX. 20. & rem familiarem ad necessaria defuisse, vt suis facultatibus ea ministrarent piae mulieres. (*h*)

(*f*) lib. IV. inst. diuin. c. XXIII. §. 8.

(*g*) vid. SANDHAGEN *in kurtzer Einleitung die Geschichte unsers HErrn IEsu CHristi zu betrachten*, p. 50. seqq.

(*h*) Obseruant nonnulli moris fuisse, vt mulieres, praesertim viduae, magistris, legisque doctoribus ea, quae ad seruandam vitam fuerunt necessaria, praebuisse; & Chusam, cuius vxor Luc. IIX. 3. inter familiares Christi memoratur, illum fuisse regium Io. IV. 47. Herodis Antipae ministrum.

Luc. IIX. 3. Et hoc iterum magnum est mysterium, Kohel. IX. 14. 15. vt Christus, tanquam vir pauper, mundum, paruam in oculis Dei ciuitatem Ies. XL. 15. 16. 17. ex laqueis vallisque regis magni, satanae liberaret. At quae beneficiorum obliuio! Homines enim sapientiam huius pauperis, mysterium nempe crucis, contemnunt, & verba eius non audiunt.

XVII. Superest, vt de officiis, quae Christus erga alios omnes seruauit, aliquid dicatur. Omnia ista amoris rursus coercet complexus. Non iam vero de ineffabili in omnes homines studio, quo Christus verus *Deus dilexit dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter dixerim, quia carnem induit, sapienter, quia culpam cauit, fortiter, quia mortem sustinuit* (i). Nulla vero res est nullumque verbum Christi in Galilaea aut gesta, aut prolatum, quod non de immenso eius erga omnes homines testetur amore. Tota vita eius iugis erat aestus & amoris profluentia, vt excitatum sui desiderium, domus suae bonis pensaret largius. Munia sua Act. X. 38. quam sedulo in Galilaea exsequutus sit, ex dictis constat. Ibi fecit initium vers. 37. & concionibus vice plus simplici emensus est, Matth. IV. 23. IX. 35. XI. 1. Luc. IV. 15. 23. Io. VII. 1. quas itinerum molestias, non nisi amor, & miseratio Galilaeorum inprimis, Matth. IX. 35. 36. & aliorum, mitiores fecit. Huc etiam spectant omnia Christi in Galilaea miracula, summam in miseriam humanam misericordiam signantia, plusque magnitudinis quam omnium oratorum linguae eloquii habentia. Sed vt paucis complectar multa: tenerrimus erat ad miserendum, facillimus ad remittendum, promtissimus ad subueniendum. Vix leprosus paucis, sed omnia curatae precationis requisita arctantibus verbis dixit: *Domine, si vis, potes me mundare: Volo,* cito reponet, *mundus esto.* Marc. I, 41. Vix centurio serui sui miseriam referet, vltra petitum se eum sanatum venire promittet; &, Augustino interprete, colligentis: *Si ego homo sub potestate iubendi habeo potestatem; quid tu non possis cui omnes seruiunt potestates*, magnam mirabitur fidem, & laudabit. Matth. IIX. IX. 2. 36. XV. 32. Marc. I. 41. VII. 34. Luc. VII. 13. Ita non solum fratribus suis secundum

(i) Bernh. serm. 30. in Cant.

dum carnem, sed & gentili nationi, nominatim foeminae Cananaeae, Matth. XV. 21. 28. Marc. VII. 24. 29. & mulieri duodecenne sanguinis profluuium passae, in Galilaea fecit. (*k*) Matth. IX. 20. Quanto seruandi cunctos desiderio flagrauit? Quam cumulatius dilexit Galilaeos, vt semper in Capernaum manere nollet, sed aliis quoque ciuitatibus regnum Dei nunciare? Luc. IV. 43. 44. Quam viguit in eo plus quam paterna vel fraterna vena? Quanto ardore nocturnis precibus coelesti patri hominum miserias credes exposuisse? Sed quae verba conueniunt tanto seruatoris in mortales amori Io. XV. 13. celebrando, qui eum adegit, innocenti quadam ratione infirmitatem carnis nostrae experiri, vt spiritualis eius virtutis simus participes? Nec tamen mira eius suauitas & comitas praetermittenda est, qua non in discipulos solum Luc. V. 3. conf. Io. XXI. 5. & infantes; Marc. IX. 36. Matth. XIIX. 2. sed omnes quoque adeo blande & humane se gerebat, vt omnes eum quaererent Marc. I. 37. Luc. V. 1. & orationis gratiam mirarentur, Luc. IV. 22. quid? quod ex ipsis infensissimis hostibus suis pharisaeis quosdam mouerit; qui suauitatem eius affectu amicitiae & conuiuiorum scitamentis studebant munerari Luc. VII. 36. Si enim sapientia hominis, faciem eius il-

 lumi-

(*k*) Liber quidem, qui sub Ambrosii nomine extat, *de Salomone* c. V. patriam huius foeminae, dum eandem Martham nominat, Lazaroque associat, Iudaeam facere visus est; sed eum falso tribui Ambrosio nonnulli obseruant; vid. Riueti *criticus sacer* l. 3. c. 18. p. 321. Nec desunt, qui contendunt: quod Iudaei millies maluerint mori, quam statuas conflatas, qualem haec foemina, erigere; Montacutius in *originibus ecclesiasticis* p. II. p. 86. seq. & Theophanes in *chronographia* p. 41. eam ἐθνικῷ ἔθει in honorem Christi erexisse statuam asserit: ideoque Iudaei pictores & statuarios e ciuitatibus suis eiecisse feruntur. TRIBBECHOVIVS, *exercit. antibaron.* 2. p. 17. Quod vero obiici posset: hanc mulierem relictis Iudaeorum castris ad Christum transfugam solutiorem procliuioremque factam esse ad statuam erigendam; hoc egregium non modo Eusebii testimonium H. E. l. VII. c. 18. sed & communis doctorum refellit consensus.

luminat, & austeritas faciei mutatur; Kohel. IIX. 1. quanta ipsius sapientiae& lucis, faciei lux ipsa erit? πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Prae caeteris autem comis, & humanus erat in humiles & deiectos peccatores & publicanos, Matth. IX. 10. seqq. Luc. VII. 47. 50. Horum quidem fructus aliorum lacrymae, thesaurus aliorum miseriae erant; sed ipse suscipiebat eos, vt ad Matthaei instar, qui erant fraudatores pecuniae, fierent instrumenta gratiae, qui auaritiae fuerunt institutores, fierent misericordiae diuinae testes. Sicuti vero sancta Christi cum publicanis conuersatio confundebat inimicos, emendabat alios, extollebat Deum: ita hocipsum erat, in quo offendebant pharisaei, qui veri amoris indolem, quae *non aemulatur, non temeraria est, non tumet* 1. Cor. XIII. 5. non nouerant, tantoque prophetae humile esse ducebant, tam abiectos & sordidos in amicitiam suam admittere. Hic idem seruatori, quod Demostheni accidit, qui male in improbis locatae amicitiae accusatus; *optimus*, respondit, *is est medicus, qui sanos relinquit, & bene habentes, aegrotos, & penitus deploratos curandos suscipit.* Ita & Christus: Matth. IX. 12. 13. Ipse enim fons patulus erat Zach. XIII. 1. ad quem omnibus licebat venire laborantibus & onustis, ac recreari. Matth. XI. 28. Necessarios, amicos, & fratres quod amauerit, iuxta mecum omnes sciunt, & demonstratione non indiget; sed quo ordine eos amplexus fuerit, supra est ostensum. Si magis necessarium officium interuenit, huius executionem, amicis, sanctiori profecto studio, antetulit, quam Anaxagoras, quem grauis de filio nuncius a disputationibus non retraxisse; sed philosophiae detulisse calamitatis suae negligentiam dicunt. Et eo sensu non permittebat illi discipulo sepultum ire patrem suum, Matth. IIX. 22. quia iam ingrediente Christo in nauem, nullum tempus erat, vt iret domum, et solueret patri iusta. Maximum tandem quod de integerrimo Christi erga omnes homines amore subnectendum, summa eius charitas est, & studium in aduersarios. Haec enim lucidissimum de summa eius perfectione perhibere possunt testimonium. Non mihi quidem deprecationem & intercessionem Christi pro atrocissimis hostibus, iniquissimis iudicibus, & excruciantibus eum militibus; Luc. XXIII. 34. non etiam, maximam mansuetudinem in perditissimi hominum-

muncionis Iudae ſimulationem, Matth. XXVI. 49. 50. in teſtimonium citare fas eſt; ſed vel omnis Chriſti vita in Galilaea acta loquatur de inenarrabili eius in aduerſarios voluntate ac ſtudio. Non enim ſolum in Galilaeo monte prope Capernaum de inimicorum amore, quo imaginem diuinam debeamus ſequi, mundique viribus & fortitudini ſuae innixi, irritationes, ſua virtute & manſuetudine depellere, perſpicue praeceperat, Matth. V. 43. phariſaeorumque cauillationes ſolide redarguerat: ſed dictis etiam morum conueniebat fides. Omnes quippe cum phariſaeis diſceptationes plenae ſunt manſuetudinis, & humanitatis. Matth. XII. 10. Luc. VII. 40. Obiurgationes eius praeterea cum intima animi miſericordia, & charitate erant coniunctae, Marc. III. 5. IIX. 12. Conuiuia denique eorum, quae inuitatus impleuit; non refectione corporis magis, quam occaſione ad ſanam eos mentem reuocandi metiebatur. Luc. VII. 38 ſeqq. &c. Ideoque, quod teterrimum, at non minus vulgare vitium eſt, eosdem non excoecabat adulationibus; ſed ad veritatem loquebatur omnia, ad voluntatem eorum nihil. Vltimo egregie quoque amoris ſui erga hoſtes ſpecimen edidit in patria ciuitate Nazareth. Incolae videlicet huius ciuitatis in ſummum vitae periculum eum adduxerant; nihilominus tamen duplici vice ad eos venit doctum; duplicatisque quaſi greſſibus eosdem inſequutus eſt. Marc. VI. 1. 6. Matth. XIII. 54. 57.

XIIX. O doctrinam, o miracula, o exemplum! Quam fere ex iis & ipſi Iudaei inuiti, eum magnum prophetam qui in mundum venturus ſit, Deut. XIIX. 15. 18. 19. cognouiſſent Io. VII. 40.? Quam beati illi Io. VI. 2. 14. Luc. VII. 16., qui eum vatem profitebantur, & ſermonibus oris ipſius quaſi catenati eum ſequebantur, Matth. IIX. 1. & violenter imminebant; Luc. V. 1. ſi firma fide eum ſuſpexere? Sicuti enim tribus diſtinctis vicibus, e coelo, legitimus propheta, & DEI filius renunciatus, & quaſi in conſpectum populi productus eſt; primo a muneris exordio, apud Iordanem cum Ioannis baptiſmo in Peraea inaugurarεtur; Matth. III. 17., tum in medio ferme muneris ſui curſu in monte ſancto Galilaeae; Matth. XVII. 5. 2. Petr. I. 17. poſtea, peracto mox officio, in Iudaea: Io. XII. 28. ita verba & os eius veritas, manus miracula, vita, & facta ſanctitas erant & iuſtitia. Nulla inde Iudae-

Iudaeis superat excusatio. Io. XV. 22. 24. Nos vero, quibus omnis Christi vita, praescriptum est, quod reliquit, 1. Petr. II. 21. vestigia eius debemus subsequi, notasque Gal. VI. 17. in corpore nostro gestare, quas speciatim Paulus refert, 2. Cor. VI. 8. 9. 10. quasque Christi fuisse constabit ex dictis. Si ergo Mariae instar, Luc. II. 19. quae ipsa ministris nuptiarum in Cana consulebat: ὅ, τι ἂν λέγῃ ὑμῖν, ποιήσατε, Io. II. 5. volueremus, & quae Christus docuit, & exemplo firmauit, sequeremur: certe non ambulaturi essemus in tenebris; sed vitae lumen habebimus; Io IIX. 12. Ebr. XIII. 17. sin minus, implicatae tandem rationi nostrae haerebit aqua. Verissimum enim quod Augustinus (l) habet: *tot iudicibus inops stabo, quot me praecesserunt in opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi praebuerunt exemplar: tot conuincar testibus, quot me mouerunt proficuis sermonibus, seque imitandos iustis dederunt actionibus.*

XIX. Haec de officio Christi prophetico cum dicta sint, ad sacerdotale venio. Insignia quoque eiusdem monumenta e rebus Christi in Galilaea gestis possunt colligi. Primam quidem eius partem, sacrificia nempe, quod spectat; nec circumcisio eius, nec passio grauissima, in Galilaea contigit. Ὅτι οὐκ ἐνδέχεται προφήτην ἀπολέσθαι ἔξω Ἱερουσαλήμ. Luc. XIII. 33. Semel tamen iterumque Christus futuram passionem in Galilaea non solum praedixit, & salutis ordinem docuit; Matth. XVI. 21. XVII. 22. 23. Luc. IX. 22. & Luc. XIIX. 31. seqq. nemo etiam dubitabit, tanta vi & pondere ea dixisse seruatorem, vt cum discipulis, Matth. XVII. 23. & ipse valde contristatus, illique non ausi fuerint, ea de re magistrum consulere; Luc. IX. 45. sed quod probe est notandum: Christus sacrificium quod patri erat praestandum, vt a legis execratione assereret nos, & promissionem Abrahae adipisceremur Gal. III. 13. 14 Io. XVI. 7., in tota sua vita fecit, & pertinent huc omnia quae vnquam ad legis iustitiam implendam egit, & sustinuit ab infantia; omnes infirmitates nostrae, tristitia & lacrymae, cunctaque Christi discrimina. Hancque alteram & sequentem summi sacerdotis officii partem, preces nempe, intercessionem, & benedictionem, omnibus numeris in Galilae-

(l) in medit, cap. IV,

lilaea absoluit; eaque patri obtulit εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Quid vero precatus fuerit, ex sacerdotali illa oratione Io. XVII. inferre erit licitum. Nunquam certe execrationem, Gen. IX. 25. non iudicium DEI, 1. Sam. XXIV. 13. non vrsos, 2. Reg. II. 24. non vindictam; Ier. XIIX. 21. sed peccatorum remissionem, Luc. XXIII. 34. & patris in ficulneam, Iudaeorum generis arborem indulgentiam, Luc. XIII. 8. lamentationes, & miseriae humanae deprecationes precabatur. Meliora ergo non sanguine Abelis & omnium martyrum modo, sed & prophetis est locutus, Ebr. XII. 24. & adhuc viuit ad supplicandum pro hominibus, Ebr. VII. 25. Profecto si seruatorem nunquam altus, quo, iuncta gregis Christi incuria, multorum perfidorum sacerdotum abdomina sunt sepulti, Ies. LVI. 10. 11. somnus habuit; Marc. I. 35. sed pernox saepe orauit Luc. VI. 12. in desertis; V. 16. eum non minus curatas & ardentes, quam quae Io. XVII. referuntur, quin subliniores captui humano Io. XVI. 12. fudisse preces, vt purgentur conscientiae nostrae a mortuis operibus, Ebr. IX. 14. X. 20. 21. omnes sinceri nominis Christi cultores credent. Quod, tandem, benedictionem spectat, conclusionem concionis Petri Act. III. 26. etiam pertinuisse ad Galilaeos nemo ibit inficias. Multis etiam peccata remisit, Luc. VII. 48. Matth. IX. 2. omnibusque cordate eum sequuturis spiritus S. dona promisit. Matth. X. 19. 20.

XX. Quomodo tandem rex pacis Cant. III. 7. Eph. II. 14. 17. Iesus Christus officium suum regium nec in Galilaea praetermiserit, paucis erit dispiciendum. Quod rex fuerit, Io. I. 49. conf. Ps. II. aeque notum est, ac regnum eius non esse de hoc mundo Io. XIIX. 36. Luc. XVII. 20. 21. Conditionem & originem regni Gabriel ille, vt Iudaeis dicitur, minister misericordiae optime exponit: Luc. I. 32. quod magnus, & DEI filius sit futurus. Es. IX. 6. 7. Ps. XLV. 4. Mundana regna iam erant praeoccupata a mundanis regibus; praeoccupatus splendor & pompa, purpura, auro & argento distincta, praeoccupati longi, & maximo apparatu ornati comitatus. Nihil itaque illi supererat quam iustitia, miserisque subueniendi cupiditas, mansuetudo & humilitas Zach. IX. Male autem Iudaei, quibus omnia sub integumentis terrestrium beneficiorum erant adumbrata, terrestrem

expectabant regem. Io. VI. 15. Ciues regni Christi in Galilaea omnes illi erant, qui brachio Domini sibi patefacto, Ies. LIII. 1. Io. XII. 38. mansuetum regni eius sceptrum subibant; gladioque suo Ps. XLV. 4. satanae vincula, quibus eos tenuit, patiebantur distrahi. Quemadmodum vero boni regis est, ciuium vtilitatem sic tueri, vt quicquid agat, ad eam referat; tum valere armis aut opibus ad eos defendendos; omnem postea vim ab iis propulsare; & denique, vt earum rerum sit copia, quae sunt necessaria, videre: ita haec omnia, erga animas ciuium suorum, praesertim discipulorum, non solum, eorum aeternam beatitudinem quaerendo; ceu verus DEVS non patiendo eos sibi eripi; Io. X. 28. de iis patri satisfaciendo; vitam & quod abundat, concedendo; Io. X. 10. sed & corpora eorum, exsequutus est rex noster gloriosissimus. Primum enim id semper fecit, vt illis bene sit, & abiectos miseriisque coopertos (*m*) piscatores, episcopos & doctores, qui sententiam duodecim tribubus Israel sunt dicturi, maximo fauore ornauit; deinde contra quosuis pharisaeorum aliorumque insultus defendit eos, Marc. VII. 3. 5. Matth. IX. 15. XII. 1. seqq. Marc. IX. 16. &c. verberatos fluctibus, & obstante vento haerentes protexit, Matth. IIX. 25. XIV. 25. quoad, postea, seruator apud ipsos fuit, Matth. IX. 15. non contristati sunt; sed sicut nuptiarum filii, caste tamen & integre hilares erant, & quod notetur, omnino dignum est: seruatorem passionem suam, eorumque vexationes tum primum expromsisse, cum iam prope instarent, hinc plane insigniter Matthaeus: XVI. 21. ἀπὸ τότε ἤρξατο δεικνύειν &c. & Ioannes: ταῦτα δὲ ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς οὐκ εἶπον, ὅτι μεθ' ὑμῶν ἤμην. XVI. 4. contra quaeuis tamen pericula, pacem suam interposuit, Io. XIV. 27. solatioque plenissimis armauit verbis; Io. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. (singula quippe quibus discipulis suis quasi vale dixit, flammae sunt, maximi sui amoris,) & omnia ad eos eloquebatur, vt & eius laetitia in istis maneret, & eorum laetitia expleretur; Io. XV. 11. XVI. 33. XVII. 12. tandem seruatori de suis, quos sicut galli-
na

(*m*) Oppian. ἁλιευτ βιβλ α. non longe ab init. & Caue in antiquit. apostol. p. m. 198.

na pullos fouit, alendis curae fuit, ſicut ipſi, quaerenti ex iis ſeruatori: ὅτε ἀπέστειλα ὑμᾶς ἄτερ βαλαντίου καὶ πήρας καὶ ὑποδημάτων, μή τινος ὑστερήσατε; teſtantur reſpondendo: οὐδενός, Luc. XXII. 35. Verum enim vero ſi regnum Chriſti ſeparatim conſideremus, cumprimis eidem in Galilaea legitime praefuit. Ad regnum naturae quod attinet, ſe regem naturae comprobauit, aquam in vinum mutando, Io. II. rebelles daemones compeſcendo, Marc. I. 25. IX. 25. dominium in creaturas Pſ. IIX. exercendo, Luc. V. 1. 4. 6. Matth. XVII. 27. paucis panibus quatuor hominum millia ſatiando, Marc. IIX. 1. 10. vexatos fluctibus diſcipulos per mare tanquam terram liberatum eundo, Matth. XIV. 25. & omnibus aliis miraculis. De regno gratiae, quod ab initio ad Galilaeos venerat, Matth. IV. 17. XII. 28. cuiue a tempore Ioannis vis fiebat, & violenti rapiebant, videantur omnia quae de officio Chriſti prophetico dicta ſunt. Regnum gloriae vero quoad maximam partem Galilaei inprimis videre potuiſſent, niſi oculorum mentis aciem tot tantaeque praeconceptae obſtruxiſſent opiniones de mundano Meſſiae regno. Erat enim ſeruator ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Θεοῦ. Hunc qui diuinitus inſtructis oculis vidit, patrem vidit, ipſe in patre & pater in ipſo erat, Io. XIV. 9. 10. ſeqq. Delibarunt aliquid tres Chriſti diſcipuli in monte Tabor, ipſi viderunt ſplendorem eius vt vnigenae a patre, Io. I. 14. & omnes, quorum per tenebras miracula eius crebris collucebant lucibus, qui inde religioſe eum coluerunt, Marc. I. 40. Matth. IIX. 2. 8. Luc. VII. 16. 38. Matth. IX. 18. Marc. V. 22. 33. Quid ad felicitatem & ſplendorem Galilaeae vlterius addere potuiſſet glorioſiſſimus ſeruator? Sed reſtat vt de actis Chriſti in Galilaea poſt eius reſurrectionem vel tria adiiciam.

XXI. Hiſce cunctis in Galilaea peractis τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε τοῦ πορεύεσθαι εἰς Ἱερουσαλήμ. Ibi non minus bene fecit, docuit, correxit, & redarguit phariſaeos, ita, vt impatientes tandem doctrinae Chriſti, eum vinctum traherent, & abſurdiſſimo iniquiſſimoque procedendi modo & ſuppliciis interficerent. Sed non paſſurus erat Deus, vt ἅγιον illud corruptionem videret: ſurrexit ergo tertio a paſſione die maxima maieſtate & gloria, ſum-

ſummoque phariſaeorum deſtinationum, cuſtodiarum, pretioſorumque mendaciorum dedecore. Dixerat vero ſeruator: Matth. XXVI. 32. ſe velle diſcipulos in Galilaeam praecedere, ibique ad fidi inſtar paſtoris diſperſas oues congregare. Hoc ipſum multis amoris ſui ſignis impleuit. Io. XXI. Matth. XXIIX. 16. Praeclarum certe magni amoris Chriſti non in diſcipulos ſolum, ſed & Galilaeam documentum! Non ſibi in eo temperare poterat erga diſcipulos; παιδία μή τι προσφάγιον ἔχετε; Io. XXI. 5. & vt ſatis firmaret pectora eorum de veritate reſurrectionis ſuae, miraculoſum prandium, quod ipſe parauerat, dedit; non ſpeciatim erga Petrum, qui teſtificandi ſui amoris gratia ſe in lacum iecit, vt praeueniret reliquos, ſumma hunc animi placabilitate, & triplici amoris eius ſollicitatione de magno lapſu ſuo monuit, vitaeque exitum glorioſum ſignauit; non denique erga ipſam regionem Galilaeae integerrimum poterat retinere impetum. Mare enim eius, ſiue Tiberiadis, quod iam ante paſſionem tot miraculis illuſtrauerat, ſubiectum erat, quod ſuo iuſſu tot piſces, quot dicuntur genera, nempe centum quinquaginta tres, tradebat. Nec tranſeundus erat mons Chriſti, vt creditur, prope Capernaum; excellentisſime in eo Chriſtus diſcipulis ſuis apparuit. Plusquam enim quingentis fratribus ſemel praeſentibus eumque adorantibus, nonnullis tamen, quod notatione dignisſimum, dubitantibus; decenti grauitate ad eos locutus eſt, & apoſtolos inprimis, quos in hoc monte elegerat, Luc. VI. 13. eisque caſtiorem legis voluntatem expoſuerat, in omnem terram breui doctrinae ſalutis ſumma inſtructos, miſit, eosque varia miracula faciendi facultate, inprimis ſpiritu S. ſummo bono donare ſpopondit. Matth. XXIIX. 16. ſeqq. conf. Act. II. Cur vero ſeruator phariſaeis coeteriſque Iudaeis ſeſe non oſtenderit Io. XIV, 22. indignitas eorum & obduratio in cauſſa fuiſſe creditur; ſed praeter ea, ſeruator glorioſiſſimum corpus phariſaeorum cauillationibus & calumniis exponere, & diuinam maturare vindictam plane nolebat. Sicuti enim, dum noſtrum duceret ſpiritum, eum daemonem habere dicebant; ita, cum omni exceptione maius cuſtodum, pro eorum partibus ſtantium, teſtimonium reſpuerent, non iniurius ero, ſi eos, apparentem illis

ſer-

seruatorem vmbra satanica agitari, dicturos fuisse, assererem; praesertim cum & nonnulli Christi discipuli, veritatem personae ipsius in discrimen vocauerint. Quae de caussa apparitionis Christi in Galilaea LACTANTIVS dicit: (n) *profectus ergo in Galilaeam (noluit enim se Iudaeis ostendere, ne adduceret eos in poenitentiam, atque impios resanaret,) discipulis iterum congregatis, scripturae sanctae litteras id est, prophetarum arcana, patefecit*; theologorum virorum virgulam vix aut omnino non possunt effugere. Tantis gestis & miraculis seruator mundi Galilaeam felicem fecit & illustrem. Paucis hoc persequetur

CAPVT III.

DE
CLARITATE QVAE GALILAEAE EX REBVS CHRISTI GESTIS ET MIRACVLIS ACCESSIT.

CONSPECTVS.

Concluditur, E. Galilaea clara est; simulque disquiritur cur Christus Galilaeam praetulerit Iudaeae? I. Breuis quorundam c. II. sparsim dictorum ἀνακεφαλαίωσις. II. Testimonium Christi de praerogatiuis Galilaeae, quod paulum illustratur. III. Galilaeae ob tantam felicitatem neglectam poenae. IV. Christianis hoc sit exemplo. V. Epilogus. VI.

I.

FAcile splendor nominis Galilaei, & amplitudo ipsius regionis colligi ex dictis potest. Licet enim nimis videbatur obscura, clarum tamen nomen adepta est, quod non solum ab ea christiani Galilaei dicti sunt, sed praesertim quod Christus adeo frequenter eandem obambulauit & incoluit, οὐκ ἐκ τοῦ τόπου λαβεῖν δόξαν βουλόμενος, ἀλλὰ τῷ τόπῳ δόξαν περιθεῖναι προελόμενος, *non a loco gloriam mutari, sed loco studens conciliare gloriam* (o). Hinc etiam Iesus

(n) l. IV. c. XX. (o) hoc de Democrito Abderam Athenis praeferente SVIDAS dicit.

ſus ſeruator noſter, contemtam Galilaeam, ſumma animi demiſſione incolere maluit, quam ad coelum elatas Ieroſolymas. Cum enim omnes molitiones ſuas a phariſaeis obſeruari, omniſcientia eius cognouiſſet; Io. IV. 1. 3. & captum eſſe Ioannem audiuiſſet: Matth. IV. 12. conceſſit in Galilaeam, vt ibi degeret, Matth. XVII. 22. ſuisque fungeretur officiis. Accedit commoditas Galilaeae & praeſertim Capernaum non ita procul a nauigabili Galilaeae mari ſitae, ex qua fama factorum miraculorumque eius exquiſitius dimanare, & quaſi *deuolui* poterat. Nec de nihilo eſt, quod notant ſacri ſcriptores: ἐξῆλθε τέ ἡ ἀκοὴ ἀυτȣ̃ ἐυθὺς εἰς ὅλην τὴν περίχωρον τῆς Γαλιλαίας, Marc. I. 28. & Luc. VII. 17. ſermo de reſuſcitato iuuene totam Iudaeam, finitimamque regionem perſuaſiſſe dicitur. Tandem ardorem & impetum Iudaeorum contra ſequentem eum multitudinem vitauit; hoc pacto tamen Galilaeam egregie illuſtrauit.

II. Et hoc quomodo non ita ſe poſſit haberi, cum ſupremum numen ita ſe demiſit; vt ex virgine, hac oriunda regione, homo naſci voluerit, in ea educari, in ea agere? Statim etiam grauisſima a diabolo perpeſſa tentatione, vsque ad prima paſchalia Iudaeorum ſolennia in ea degit; Io. II. 1. 12. elapſis vero octo menſibus, in Iudaea muneri ſuo vendicatis, reliquos quatuor Galilaeae tribuit, & fere vnius & dimidii anni ſpatium, quaqua verſum pedem gradumque contulit, benefaciendo apud Galilaeos manſit. Io. IV. 3. V. 1. VII. 1. Redux tandem ex Peraea Io. X. 40. ad Galilaeam reuertit; Luc XIV. 25. vt ſol iuſtitiae diſpulſa nebula in iis regionibus diem aperiret. Propterea tot laborioſas per Galilaeam peregrinandi recepit neceſſitates, & coeleſtis doctrinae ſuae ſemina primum in ea ſparſit, Act. X. 37. Luc. XXIII. & inter Galilaeos habitauit. Matth. XVII. 22. XXI. 11. XXVI. 69. Marc. I. 28. Tota Galilaea veluti hortus erat amoeniſsimus, quem Chriſtus ſummus agricola multo ſudore & opera parauerat, variisque coeleſtis gratiae floribus & ſanctitatis vitae ornamentis inſtruxerat, & miraculis exornauerat. Memorabile enim, ne quae cap. II. dicta ſunt, fuſe repetam, quod Luc. V. 17. dicitur de quodam oppido eius: *Domini vim in ſanandis hominibus adfuiſſe.* Haec ſi quis penſitabit ſedulo, res geſtas

ſtas Chriſti Galilaeae ſummum attuliſſe decus probe intelliget.

III. Seruatorem ipſum teſtem faciamus, quia cuncta egregie illuſtrant eiusdem increpationes vrbium, quibus culpae datur, quod tot eius miracula in iis eſſent edita, nec tamen ad frugem rediiſſent; Matth. XI. 20. vbi Capernaum ad coelum vsque elata dicitur. Multa enim Galilaeae loca, praeſertim miraculis adoperibat; Matth. IV. 16. Luc. IV. 23. iisque quae & Tyrios ac Sidonios e ſcelerum gurgite potuiſſent extrahere, adeo, vt nulla iis amplius ſupereſſet excuſatio. Io. XV. 24. Capernaum, ex eo quod Chriſtus in ipſa, & quod veroſimile eſt, in ſocrus Petri aedibus habitauit, ea vidit, Luc. X. 23. ſeqq. quorum deſiderio multi reges & prophetae ita flagrarunt, vt promiſſionibus, atque cautionibus diuinis magis incitarentur ad deſiderium, quam replerentur. Vnde tot ſuſpiria, *O vtinam coelos disrumperes:* & alia. Tanta ergo Galilaeae praerogatiua fuit, quae nullius fere alius regionis ac ciuitatis. In ea ad Chriſtum venerunt multi ex omnibus adſitis prouinciis, quin ipſis Ieroſolymis Iudaeorum primores; Luc. V. 17. Matth. IV. 25. Marc. III. 22. ex ea fama Chriſti in omnia finitima dimanauit. Marc. I. 8. Quod non decus eſt regioni aut ciuitati, aut alio loco, ſi rex aut princeps, vir doctus, aut magnus, egregium in iis factum edit? Sed quo maior Chriſtus omnibus hominibus; quo excellentiora Chriſti geſta & miracula externa & interna, omniaque, quae ad ſalutem mortalis generis fecit aut ſuſtinuit, ſplendidisſimis omnium hominum factis: eo maius etiam Galilaeae decus exiſtimandum eſt. Sint clarae ſuo aeuo Athenae, ſint florentisſimae totius orientalis Graeciae eccleſiae, Corinthiaca, Epheſina, Theſſalonicenſis, Philippenſis & aliae ciuitates celebratisſimae omnes! Glorietur R. Iuda de duplicatis Alexandriae ſedilibus: *quod ea, qui non viderit, nunquam de vita ſua viderit gloriam Iſraelis!* (p) Magni faciat Antiochiam Chryſoſtomus (q), quod ibi Chriſti cultores primum ſint chriſtiani vocati, aſſerat tantum decus non aliam ciuitatem, non Romam

(p) vid. TENZELIVS de *diſciplina arcani* parte poſteriore pag. 196.
(q) hom. 17. ad pop. Antioch. Tom. I, p. 198.

mam ipſam poſſe oſtentare! Hic plus eſt Antiochia, & reliquis regionibus praeſtantius! Quae regio enim aut ciuitas, ſi exceperis Ieroſolymas, vel Bethlehem, cum quibus tamen Galilaea de praerogatiuis videtur in arena eſſe, hac eſt clarior? Quam ob rem merito de Galilaea dici poſſet quod Matthaeus de Bethlehemo: quam Micha V. 2. ratione ſitus & ambitus, aliarumque Iudaeae ciuitatum reſpectu, *minimam in millibus Iudae*: ille vero II. 6. a dignitate, qua, ex ibi nato Meſſia, eſt ornata, & *non omni Palaeſtina tantum, ſed vniuerſo prorſus orbe facta illuſtrior* dicitur Chryſoſtomo (r), *nequaquam minimam* vocat: & tu Galilaea nequaquam obſcura, obſcura viſa, tibi σωτηρία ἐγένετο, Luc. XIX. 9. cum magnam illam lucem, tanquam coeca in tenebris agens, vidiſti! Matth. IV. 15. 16. Et quid obſtat, quo minus qui Chriſti nomen profitemur, ad Iudaeorum inſtar, qui totam terram Canaan ſanctam vocant, quod DEVS eandem ſuam dicat: Leu. XXV. 23. omnem Galilaeam, ex hoc capite non ſolum, quo terrae ſanctae portio eſt, ſed id propter inprimis ſanctam dicamus: quod ὁ ἔρως ἡμῶν σαυρωθεὶς per omne fere ſpatium a cunis vsque ad aſcenſum eius eam ſub pedibus calcauerit, & ea egerit, quae ſaluti noſtrae dederunt initium. Neutiquam vero ſic dictam velim ab inhaerente quadam ſanctitate, quod multi, & cum his pontificiae *ſanctitatis* cultores putant, *in ſcriptis ſuis de locis ſanctis, & aliis fidelium crucis ſecretis*, vbi Iordanem & alia terrae ſanctae loca ſacroſancta appellare non erubeſcunt. Ideoque nec migrationes pontificiorum ad ea loca ſunt probandae. Integrior aliqua ex parte illa Petri migratio quam Theodoretus (s) celebrat: ἐκεῖθεν ἱστορίας ἕνεκα τὴν Παλαιστίνην κατέλαβεν, ἵνα τοὺς τὰ σωτηρία πάθη δεξαμένους θεασάμενος τόπους, ἐν αὐτοῖς τὸν σεσωκότα προσκυνήσῃ θεόν· οὐχ ὡς τόπῳ περιγραφόμενον, ἠπίστατο γὰρ αὐτοῦ τὸ τῆς φύσεως ἀπερίγραφον· ἀλλ᾽ ἵνα καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἑστιάσῃ τῇ θεωρίᾳ τῶν ποθουμένων, καὶ μὴ μόνον τὸ τῆς ψυχῆς ὀπτικόν, δίχα τῆς ἄψεως, τῆς πνευματικῆς, διὰ τῆς πίστεως ἀπολαύῃ τρυφῆς· πεφύκασι γὰρ πῶς οἱ φιλοστόργως, περί τινα διακείμενοι, οὐκ ἀπὸ τῆς θέας αὐτοῦ μόνης θυμηδίαν καρποῦσθαι, ἀλλὰ καὶ τὴν οἰκίαν, καὶ ἐσθήματα, καὶ ὑπο-

(r) hom. 7. in Matthaeum.

(s) hiſtoria religioſa p. 810.

ὑποδήματα μετὰ πάσης θεωρεῖν εὐφροσύνης. Deinde in Palaestinam visendi studio profectus est, vt conspectis locis, in quibus salutaris passio suscepta est, Deum sospitatorem in iis adoraret, non quasi loco circumscriptum; (infinitam enim naturam eius non ignorabat) sed vt oculos etiam rei adamatae contemplatione pasceret, nec sola mentis acies sine visu spiritualibus per fidem deliciis frueretur. Solent namque qui aliquem amore prosequuntur, non tantum ex aspectu ipsius laetari, sed & domum, & vestes, & calceamenta cum voluptate contemplari. Equidem nemo sincerus Christi cultor mirari & stupere se non confitebitur, si ei loca, quae tantis miraculis Christi innotuerunt, & lacum Tiberiadis, & montem Thabor, montemque illum prope Capernaum concione Christi Matth. V. VI. seqq. celebrem, aliaque Galilaeae loca adire & aspicere contingeret. Sed mittamus haec & regnum Dei intra nos ac sanctitatem imaginis ipsius patiamur restitui, sicque exspectemus coelestem Palaestinam.

IV. Sed, proh dolor! *ciuitates*, & regiones, *quo maiores* & excellentiores, *eo deteriores, ac facilius totas euerti, quam ad pietatem conuerti* (*t*) constat. Multa & magna beneficia Galilaeae desuper erant concessa; & in plenitudine temporis ipse filius Dei ad eam *venit, sed non inuenit.* Marc. XI. 13. Matth. XXI. 19. seqq. Non agnoscebant donum Dei, & quisnam fuerit, qui ad eos locutus est; Io. IV. 10. plurimos nimia ducebat curiositas, alios vltimum telum necessitas, alios impurus amor, vt ederent panem, alii ibant retro, & sermonem Christi respuebant, alii doctrinam eius de abnegatione sui & bonorum terrestrium, ducebant intolerabilem, ipsi Nazarethani ciues eiiciebant eum. Aliae ciuitates verbis eius & miraculis non gerebant morem, *cum seruator brachia extenderet, non attendebant; sed cessare faciebant consilium Dei & increpationem eius nolebant.* Prou. I. 24. seq. Iudicate nunc ipsi Iudaei viri, iustitiam diuinam inter vineamque hanc hortumque Christi. Profecto si non satis constaret, Galilaeam rebus gestis, & miraculis Christi claram esse; exacte eam claram & illustrem reddere posset ineffabilis terrae contumacia; & facerent insignem grauissimae, quas eam propter dedit, poenae. Oculi, quos culpa clau-

(*t*) Chrysost. hom. de orat. dom.

clauserat, vehementi poena erant aperiendi. Quemadmodum enim Galilaea doctrinam de regno Christi primum ab eo ipso accepit, Act. X. 37. Luc. XXIII. 5. ita etiam ingratae mentis poenas primum dedit. Ex quo Romani eos vicerant, & in Galilaea, oppida & vrbes quaedam latino sermone vocabantur, veluti CASTRA, nomine a castris Romanorum forsan ei adhaerente; & LEGIO, 15. miliaribus Romanis a Nazareth versus occidentem, Tiberias, & duae Caesareae Galilaeae vicinae; Iudaei vero, cum in mentem debuissent vocare Iacobi vaticinium, Gen. XLIX. 10. & terrestrem potentiam abnegare, Messiae Christi vero diuinum regnum sequi, imperium Romanum multis intestinis tumultibus & seditionibus recusare audebant: Nerone adhuc imperante, primum in Galilaea pugnatum est, ancipiti quidem fortuna (*u*), sed Vespasiano duce, breui, tota Galilaea subiugata, & bello vastata est; vexabantur vrbes, & capiebantur Gadara, Tiberias, Iotapata, Tarichaea, Gamala, mons Tabor, &, quam natura optime muniuerat, Giscala. Et quis maximo horrore non percutitur, extremam illam Iudaeorum calamitatem serio ponderans? Trepidaret calamus, quem isti quodammodo saltem depingendae sumerem. Prolixius autem omnia Iosephi habent historiae, exinde satis vehemens etiam Galilaeae poena potest cognosci. Sic veri nostri Messiae gloria quaesita, & ipse, quem Iudaei 45. dies tectum fore tradunt, post 45. annos, (quos 45. dies prophetici innuunt) euersa nempe republica Iudaica manifestatus est vt Messias (*x*).

V. Talis poena exsoluenda est regionibus, quae veritatis doctores non spernunt modo, sed etiam haereseos obiectis vrgent, odiisque Herodis ministrorum committunt. Lapsus igitur maiorum, sit tremor minorum. Aut enim sumus, aut fuimus, aut possumus esse, quod hic est; nec ita absimilis temporibus Christi nostrarum rerum facies. Nulla enim aetas fertilior religionis, sterilior pietatis; plurimi securi Sadducaei, multi infla-

(*u*) Ioseph. de bel. iud. l. II. c. 13. antiqu. l. XX. c. vlt. conf. & ebraeus Gorion. lib. VI. c. IX. seqq. (*x*) Relandus in Pal. l. 1. c. LIV. p. m. 260.

inflati pharisaei, pauci vero sinceri ac cordati Christi discipuli. Nobis igitur, qui a Christo conuocati ex gentibus, in Iudaeorum locum adoptione successimus, poenae eorum exemplum sint grauissimum. Iudae 7. Hoc docet ipse seruator Galilaeorum quorundam itidem exemplo; Luc. XIII. 3. & omnia ista propter admonitionem nostram scripta sunt. 1. Cor. X. 11. Rom. XI. 19. *Oportet flere pinum, quia cecidit cedrus, & emendari emendatione vicina, & ex alienis malis corrigere mala sua* (y). Hinc etiam vt coelestis ille Iosephus tandem aliquando fratres suos secundum carnem recognoscere, & esurientibus panem distringere, regnumque suum infinite amplificare velit cordati euangelicae veritatis propugnatores in votis habent. Non gloriemur contra ramos, Rom. XI. 18. sicut impii pharisaei contra sectatores Christi Galilaeos. Non enim solum in eorum locum successimus; sed etiam benignitate diuina & ministerio Lutheri pontificiorum vinculis soluti, quamobrem proxime elapso anno, ab emendata religione secularia solennia iterauimus: nisi vero in tanta Dei benignitate permanebimus; Rom. XI. 22. diuinae veritatis fames erit in limine. Amos IIX. 11. Vbi est Capernaum, vbi Chorazin, vbi Bethsaida, vbi omnis Palaestinae decus? Plurimae ciuitates vix speciem tuguriorum habent, euanuit omnis regionum felicitas, & destructa est, omnes praeterea incolae excisi, &, quod miserrimum, contra veritatem sunt obdurati. Haec si nobiscum reputabimus, postulat omnino tanta Dei benignitas obsequentem ei apponi gratamque mentem, & secundis rebus non minus quam dubiis, conuiciis nempe mundi & probris, quae & Christo eiusque discipulis nomine Galilaeo, aliisque, Matth. X. 24. acciderunt, stabilem.

VI. Haec habui quae de Galilaea rebus gestis & miraculis Christi clara, pro virili dicerem. Quae de momentosa re leuius, & non satis digne dicta sunt, benignissimum Numen ita velit instruere, ne sine omni christianae reipublicae emolumento & commodo lucem aspexisse videantur publicam. Candidum lectorem vero, ea, qua par est, obseruantia rogatum volo, si

 quae

(y) Greg. Nazianz. serm. de grand. vastit.

quae non aeque probe, ac decebat, amplificauerim, (in quorum excusationem magnitudinem operis, tenuesque partes meas allego si vero quaeuis citata loca euoluere haud dedignatus sit, B. L. quae dicta sunt, multis piis meditationibus viam facient;) boni velit consulere. Fidelissimus propheta, pontifex, & rex noster Iesus Christus, ita nos conformet, vt coelestem petentes Ierosolymam, cottidie e rotunda & turbida Galilaea exeamus, & gressus nostros per Samariam Io. IV. 4. *custodiamus*; sic eo praecedente & ducente, Matth. XXVI. 32. ad coeleste Sionis castrum veniemus, omnemque terrestris Ierosolymae splendorem figuratum, & quae Moyses fecit adumbrationes, Exod XXV. 40. XXVI. 30. Act. VII. 44. Ebr. VIII. 5. IX. 2. seqq. quasque Dauid vidit, 1. Par. XXIX. 11. 19. vno verbo, nouum coelum & terram Apoc. XXI. 1. 2. seqq. beatis oculis vere videbimus; &, qui solus dignus est, Apoc. IV. 11. Domino dicemus

GLORIAM ET HONOREM ET POTESTATEM.



AVCTORI HVIVS DISSERTATIONIS
DOCTISSIMO
PRAESTANTISSIMO IVVENI
IOANNI MATTHAEO IVNCKERO

S. P. D.


PRAESES

ELogio aliorum non indigent, qui opere ipſo, quales ſint, quidue patria pariter ac eccleſia de illis ſperare debeat, demonſtrant. Atque ex horum TE eſſe numero, praeſtantiſſime IVNCKERE, haec ipſa, quae omnium oculis ſubiicitur, diſſertatio neminem dubitare ſinit. Diligenter TE omnia quae ad hocce argumentum ſpectant, congeſſiſſe, cuncta apte diſpoſuiſſe, rerumque ſacrarum haud vulgarem vbique prodi-

diſſe notitiam, res ipſ
que hac ratione Ga
euiciſti, TE eum eſſe
liquando patriae Tua
ritatem , decusque
diſti. Qua de re mi
nus dubitare licet, qu
cumentis conſtat, n
hilque antiquius eſſe
tae morumque int
coniungas eruditione
ſupereſt, ſupplex ve
porro proſpere, & e
Tibi fluere iubeat.

Ienae, Kal.

MDCCX



res ipsa loquitur. Dum-
e Galilaeae claritatem
n esse, qui insignem a-
e Tuae allaturus sis cla-
sque eximium, osten-
re mihi quidem eo mi-
cet, quo certioribus do-
tat, nihil Tibi prius, ni-
s esse, quam vt cum vi-
e integritate solidam
litionem. DEVM, quod
ex veneror, vt cuncta
, & ex animi sententia
eat. Vale. Scribebam
Kal. Decembr.
DCCXVIII.

(o)